12

DISSERTATIO
DE
DILUVIO,

Quam,

AUSPICE DEO OPTIMO MAXIMO,

Sub Præſidio

D.D. ANTONII MAURICII,

Eccleſiæ Paſtoris, & S. S. Theologiæ Profeſſoris,

Palàm defendere conabitur

PETRUS PICOT, Genevenſis, Auctor.

Die Lunæ proximâ, Octobris 3ª. horâ locoque ſolitis.

GENEVÆ,
Apud CL. PHILIBERT.

M. DCC. LXVIII.
Ex Typographiâ STEPH. BLANC & J. P. BONNANT.

Pr Mr Bourdillon avec les compliments

VIRO
PLURIMUM REVERENDO,
DOCTRINA, PIETATE,
APUD OMNES CONSPICUO
MANSUETUDINE, MODESTIA, BENIGNITATE;
SOCIALIUM VIRTUTUM AMABILI CHORO,
NEMINI NON DILECTO,

D. D. GEDEONI PATRON,

ECCLESIÆ GALLICÆ LONDINENSIS
PASTORI PRIMARIO, VIGILANTISSIMO,
AVUNCULO SUO OMNI PIETATE ET REVERENTIA
AD CINERES USQUE COLENDO,

HANCCE DISSERTATIONEM,

IN MUTUI TENERRIMI
AMORIS SIGNUM, ET DEBITUM
OBSEQUII DEVOTISSIMI MONUMENTUM,

SACRAM FACIT

PETRUS PICOT.

Omnia pontus erant: deerant quoque littora ponto.

Ovid. Metam. L. I. ℣. 292.

DISSERTATIO
DE
DILUVIO.

PROËMIUM.

THESIS PRIMA.

INter luctuoſas clades quas paſſam Tellurem tradit Hiſtoria, nulla exitii magnitudine, cauſarum ſingulari naturâ, effectuum multitudine & momento, ipſâ tandem rei vetuſtate animos ad majorem traducit admirationem, quàm ingens hæc exundatio quæ Diluvii Noachici nomine venit. In celebris illius cataſtrophes naturam, veritatem, cauſas inquirere utile & perjucundum eſſe debet. Digna ſanè materia Theologo cujus eſt Hiſtoriæ ſacræ veteris convulſa fundamina reſtituere: Hiſtorico præbet Epocham illuſtrem in quâ primævi mundi tumulum & redivivi alterius incunabula videt. Per ſe quoque obvia eſt Critico qui difficiles extricat nodos & inter laſcivientes Interpretum opiniones ſanam eligit, nec aliena tandem Philoſopho cujus hæc eſt gloria ut fidem cum rerum naturâ conciliet. Ardua tamen quæſtio! Primorum hominum ſeri ſumus nepotes, hîc quanquam in ſuâ

re natura ferè ſilet, nec niſi exeſa ſuppetunt monumenta: De hoc nihilominùs argumento diſputare animus eſt: operoſa ſcrutandi laborem vincit grandia cognoſcendi cupido. In re difficili tenuitas ſumma eſt: Pro viribus ſit rei momentum, & in magnis voluiſſe ſi non ſatis ſaltem aliquid eſto.

I I.

Quoniam verò hæc diſquiſitio variarum diſciplinarum auxilio indiget, ad ſingulas quod ipſarum fori eſt amandabimus, & hic erit ordo dicendorum.

Prima Pars CRITICA Moſis narrationem exponet.

Secunda HISTORICA facti veritatem confirmatam dabit.

Tertia PHYSICA in ejus cauſas inquiret.

I I I.

Quod igitur exponendum & defendendum aſſumimus ea eſt Moſis Annalium pars quæ capp. VI. VII. VIII. Geneſeως comprehenditur. Ordine ibi traduntur ratio humanæ gentis a Deo perdendæ, proviſa in Noacho ſtirps novæ ſobolis, idem divina conſilia edoctus, varia juſſa cælitùs accipiens, Arcam fabrefaciens, in eam animalia & familiam quæ ſecum venturæ cladi ſupereſſent intromittens, ſubitaneæ ac diverſis petitæ fontibus aquæ in Tellurem irruentes, ad certum gradum auctæ, mox decreſcentes, in monte Ararat relicta navis ſalutifera, & finitâ clade de ejusmodi nullâ amplius futurâ datum promiſſum poſitumque ſignum. Singula criticè jam perluſtremus.

PARS PRIMA

Critica.

I V.

§ A Formatâ Tellure jam effluxerat ſeſquimillennium cùm vitiis ita ſeſe inquinavit ut eam penitùs elui neceſſe juſtiſſimo Numini viſum ſit. Non nova tamen erat depravatio cujus natalia cum mundi natalibus pene coïncidunt, at non eadem ubique. Quod Terrarum tunc temporis incolebatur tenebant ſtirpis ejuſdem proſapia duplex *Caïnitæ* & *Sethidæ*. Scilicet Caïnus poſt infeſtatas fraterno cruore manus ſuam

§ De Hominibus id pronuntias, non de tellure, quæ ſeſe non inquinavit.

progeniem habuerat, dum Sethus alterius parens fieret. Quorum po-
ſteri ut origine & ſedibus ita indole & ipſo cognomine differebant.
Hi (*a*) *filii Dei* dicuntur, quam appellationem ipſis meruiſſe videtur
pietas, illi verò *filii hominum* utpote ex adverſo paternæ impietatis
& violentiæ hæredes. Interim aucto hominum numero ſedes utriuſque
gentis ſeſe contigere. Formâ Caïnitarum fæminarum capti Sethidæ has
uxores ſibi fecere; corruptis moribus Religionem animis brevi expulit
maleſuada libido, & in gentem piam invecta ſunt impiæ vitia. Nequio-
res adhuc tulit liberos hoc hominum genus, ita ut nil jam ex primævâ
innocentiâ ſuperfuerit & ad ſummum apicem corruptela pervenerit.
Illius *extenſionem* notat Moſes Cap. VI. ℣. 5. & 12., *gradus* ℣ 1°.
& 4°. *naturam* ℣ 2. 4. 13. Idem de antediluvianis hominibus nar-
rant Beroſus, (*b*) Lucianus (*c*) & præſertim Ovidius. (*d*)

Quâ Terra patet fera regnat Erinnys:
In facinus juraſſe putes.

V.

Vindicem poſcebat tanta nequitia: Adeſt. Hominis iniquitate co-
gnitâ illius creati *primò Deum pœnitet*; quod Hebræorum more pro- ℣. 6.
latum intelligendum θεοπρεπῶς. Nec per hominem humana ſpecies
in ſe abſtractè conſiderata indigitatur quaſi hanc in totum ſuccidi voluiſſet
Deus, ſed ii demùm homines qui tunc vivebant. Eâ mente *ſecundò* ℣. 7.
ſtatuit quid de his ſit acturus. Univerſalis depravatio univerſali ſup-
plicio plecti debet: quod quidem judicium primâ fronte ſeverum
videtur, juſtum tamen & utile fuit. Nec jure quis reprehendet quod
ad innocua bruta ſeſe extenderit. Hæc perdere potuit Supremus om-
nium Conditor cujus in opera ſua jus ſummum eſt, & in generali cala-
mitate ea ſine miraculo ſervari non poterant. Tandem *tertiò* Deus ℣. 8.
exitii tempus determinat poſt annos 120. Hîc enim minimè loquitur
de ſingulorum hominum vitâ, ſed de temporis ſpatio ultrà quod reſ-
puendis adhortationibus homines laceſſere ceſſaret: Talem moram ad-
hibuit ut Arcæ conſtruendæ neceſſarium tempus ſuppeteret, at potiſſi-
mùm ut exercendi judicii nuntius ad Terricolas omnes perveniret, &
reſipiſcendi ſpatium ac locum haberent.

(*a*) Gen. VI. 2. (*b*) Alex. Polyh. ex Beroſo apud Syncell. (*c*) Lucian. de Dea Syr. T. II. (*d*) Metam. L. I. ℣. 240.

V. I.

In tantâ tamen colluvie eminebat vir unus cujus integritas, juſtitia, pietas ævo meliore dignæ videbantur. Sui temporis corruptionem ægrè ferebat, nec dubitandum quin eam objurgaret. Illum communi pœnâ non involvi voluit Deus, imò per eum humanum genus reparare ſtatuit. A Setho decimus, tres filios habens, degens in Chaldæâ quæ fuit præcedentis *populationis* centrum, annis venerandus, forsàn auctoritate quâdam apud ſuos pollens, aptiſſimus erat hominibus quaquaverſum commonendis (unde titulo *præconis juſtitiæ* ab Apoſtolo Petro inſignitur II. Ep. 2. 5) & pietati cum vitâ ſimul poſteris transmittendæ.

Gallicè (population.)

V. I I.

VI. à 13. ad finem.

Cui dum futura pandit Deus, præcavenda præſcribit. Inſtanti καταςροφῃ ſuperſtitum ſalus in nave ponetur unicâ, ingenti, quæ domui ſimilior quam navi, undis facilè innatet, ac iiſdem difficilè obruatur. Hanc תבה vocat; Latinis arca, Græcis κιϐωτον, λαρναξ a Plutarcho dicta eſt. De hâc in immenſum diſputârunt. Monuiſſe ſatis ſit 1°. De ejus *materiâ*, per lignum *Gopher* cupreſſum hîc ſignificari durabile lignum in Babyloniâ ita frequens ut ex eo claſſem integram Alexandrum ibidem ſtruxiſſe narret *Arrianus* (a). 2°. *Formâ* differre debuit à cymbis fluviatilibus jam tum forsàn in ipſo mari uſitatis. Superiùs clauſa, inferiùs plana, tribus contignationibus diviſa, in totum parallelepipedi formam referens, velis ac remis quæ ipſi inutilia fuiſſent, imò noxia, caruit. 3°. Quod *dimenſiones* ſpectat, ea fuit illarum ratio quâ aptior nulla ad deſideratos uſus excogitari potuit; cubitos 300 longa, lata 50 & 30 alta fuit. Pro diverſâ cubiti æſtimatione Interpretes diverſam poſuere ipſius Arcæ menſuram. In exceſſu peccarunt *Origenes* qui ædificium illud urbi vaſtiſſimæ aſſimilat, & *Raleigh* qui de Giganteo cubito hîc agi autumat. Peccavit contrà in defectu *Buteo* qui pollices nonniſi 18 cubito aſſignat. Veram ejus longitudinem tutiùs definivit *Cumberlandus* pollicum 21, 888 unde ferè duplicatur Arcæ capacitas & ſufficiens ſervandis animalibus eorumque pabulo locus ſuppetit.

V I I I.

imalium ^ Mundorum paria ſeptem, immundorum paria duo in Arcam intrare juben-

(a) Arrian. de Exped. Alex. L. VII. Strabo L. XVI.

jubentur. Inde naſcitur viventium multitudo quæ ſi ex præſenti Regni animalis conſtitutione æſtimetur Arcæ capacitati minimè proportionata meritò judicabitur.

Verùm ſi demas 1°. genus omne piſcium & magnam partem reptilium quorum ſedes tutæ manſere,& attendas 2°. prudentiores Naturaliſtas animalium ſpecies diverſas ad numerum multò minorem reſtringere quàm vulgus putat (*a*). 3°. Si multiplices illas viventium ſpecies ex animalium diverſi generis commixtione natas hoc computo excludas, Moſis calculo ſufficiet Arca (*b*). 4°. Forsàn etiam expungi poſſunt Polarium zonarum vicinæ animalium familiæ quæ ab hominum habitaculis ſeparatæ ſimili ſupplicio non perierunt. Tali ſubductione Cel. Wilkins (*c*) ad trecentas has omnes ſpecies coëgit.

IX.

Addimus conjecturam: Ad ætatem & ſtatum animalium attendendò eo tempore quo in Arcam intrarunt nonne eorum volumen magnâ parte imminui poteſt & commodiùs multo locata concipi queunt. Dum hunc introitum deſcribunt pictores mirorum avidi, inter boves, pinguiſſimos, & inter elephantes, robuſtiſſimos ire jubent; nos potiùs vitulos, catulos, & in omni viviparorum genere parvula individua ſelecta putaremus. Idem dictum ſit de oviparis, quorum etiam, ſaltem multorum ova poſt unum annum excludenda aſſumi potuiſſe nil vetat. Negotium tandem non faceſſant inſecta minuta: Eorum pars maxima vivere potuit in majoribus animalibus, aut in herbâ aliisve alimentis ad pabulum ſervatis & ex horum ſubſtantiâ innutriri ut id fieri ſolet, nedum admittatur cellas ſingulis ſpeciebus in Arcâ adornatas fuiſſe ut inſulsè quidam augurati ſunt.

X.

Labuntur anni. Flagitiis impœnitentiam addit humana proles. Diuturno labore præſcriptam navem ædificat Noachus eâque abſolutâ in

---

(*a*) Cel. D. De Buffon quadrupedibus utrique Continenti propriis inter ſe ritè collatis aſſerit ea quotquot ſunt redigi poſſe ad quindecim genera & novem ſpecies ſeparatas quas enumerat. Hiſt. Nat. in-12. T. XXIX. p. 227.

(*b*) Ne objiciatur mulos vulgò inſteriles & mulas infæcundas eſſe, undè Latinis decantatum illud prodigium: *Mula peperit.* Hæc exceptio in equinâ & aſininâ ſpecie locum habet propter ſpeciales cauſas; de avibus & aliis quadrupedibus idem dici non poſſe continua docet experientia. Id. p. 194. & ſeq.

(*c*) Wilkins Tempor. Chronol. Demonſtr. L. I. p. 32.

eam ſcandit ſtipatus uxore ſuâ, filiis tribus & uxoribus eorum quod Petro conſonum eſt (*a*) & cum Judaicâ traditione *animas octo ſervatas eſſe* conſentit : cui tamen numero nil addere vetat juniores liberos & famulitium ; ſolent enim in tali cenſu minora capita ſub majoribus recenſeri. Quod prædicta animalium quantitas in Arcam jugiter & præſtitâ die venerint id Deo ſpecialiùs interveniente factum autumamus.

X I.

Nec mora. Diebus ſeptem elapſis venit tandem diluvii fatalis æra quo quidquid ſeu hominum ſeu animalium vivebat interiit (*b*). Moſes ejus originem, incrementa, durationem ſedulò notat. Epocha verò determinatur collatâ Noachi ætate ℣. 11. cum anteceſſorum ætatibus. Sic obtinetur annus ab orbe condito 1656. in quo tamen diſſentiunt Docti, adhibentes alii menſes lunares ut *Cappellus*, alii ſolares ut *Scaligerus*, alii hanc æram trecentis annis retrò trahentes ut Hiſt. Univ. Scriptores.

X I I.

Fontes aquarum numero tres. 1°. Pluviæ.

Exundationis cauſæ Cap. VII. ℣. 2. memorantur. *Fontes abyſſi magnæ ſeſe diffuderunt & cœli catarractæ apertæ ſunt* : Per *cœli catarractas apertas* non aquiferorum ſiderum influxum intelligimus, ut ineptè *Symmachus*, neque cometicam vaporum infuſionem, ut hypotheticè nimis *Whiſtonus*, ſed imbres ingentes, ut ſequentia demonſtrant & patet ex parallelis Eſaïæ (*c*) & Malachiæ locis. Hæc autem calamitatis cauſa priori multò minùs efficax erat & minùs diuturna fuit, imò ab eâ pependit & in illam facilè reſolvitur, ut deinceps videbimus.

X I I I.

2°. Oceani incurſus.

In hoc igitur jacet difficultas ut quid ſit *Abyſſus* illa תהום רבה de quâ Moſes, definiamus. Duæ hâc de re dantur Interpretum ſententiæ : Alii in terris à rerum initio poſitum putarunt aquarum receptaculum ingens quocum maria communicant, & quod ſuperpoſitæ Terreſtris cruſtæ nucleum occupat. Hinc fontes, vapores è Terrâ exhalatos, Atmoſphæræ phænomena pleraque, Telluris internos motus, ſuamque præprimis diluvianam hypotheſim petunt. Alii per *Abyſſum* intelligunt Oceanum terris circumfluum, qui dum vario flexu ſeſe in continentes inſinuat, interna diverſi nominis maria producit, & quando

(*a*) Loco citato. (*b*) Gen. VII. 20-24. (*c*) Eſaiæ XXIV. 18. Mal. III. 10.

per cæcos meatus ſubterlabitur multiplices edit effectus in Terræ ſuperficie vel aëre ſæpe conſpicuos, ſemper indiviſus & Tellurem cingens nedum ab ipsâ cingatur.

X I V.

Suppoſitio Abyſſi centralis refutatur.

Harum opinionum ultimam amplectimur, ut pote Phyſicæ magis conſonam & Scripturæ minimè repugnantem. Sunt quidem in Deuter. VIII. 7. & Ezech. XXVI. 19. XXXI. 4. verba quæ Hydrophylacium quoddam ſubterraneum peculiare deſignare dicuntur, ſed 1°. Tempore quo hæc ſcribebantur vix conjectando aliquid de internâ Telluris fabricâ tentatum erat, nedum experiendo quid certi compertum eſſet. 2°. Quid inſuper? An auctores Sacri Geometrarum more menſurarunt cavitates ſubterraneas & *Abyſſos* quas memorant, ut inde portentoſam aquæ molem in Terræ meditullio contineri probetur? Quin potiùs *Abyſſos* ita indeterminatè deſignant ut fontium ignotam originem in iis tantummodò poſuiſſe videantur, ad quem uſum aquarum modica quantitas & Oceanus ipſe ſufficiunt. (vid. Theſ. XIII.) 3°. At multa dantur loca in quibus ſponte ſeſe offert Oceanus; ſic apud Jobum XXXVIII. 30. dicitur *Abyſſi faciem concreſcere*: & Eſaïæ LI. 10. LXIII. 13. *Jehovam Iſraëlitis Ægypto egredientibus abyſſos exſiccaſſe*, quod de mari non intelligere abſurdiſſimum eſſet (*a*).

1°. Ex Scripturâ.

X V.

2°. Ex Phyſicis rationibus.

Phyſicos conſulamus. An in Globi noſtri medio aquas locant? Nullatenùs. Alii quemadmodum *Halleïus* & *Eulerus* ut magnetis phænomenis ſatisfacerent magneticas moles immenſas intus jacere ferè demonſtrarunt. Alii fluida denſiſſima, mercurium v. g., in levioris aquæ locum huc deſcendere juſſerunt, ſi modò fluidis ibi detur locus (*b*). Plerique ad Planetarum vias attendentes judicarunt maſſas quæ tantâ velocitate in reſiſtenti medio currentes orbitas quantitate vix ſenſibili contraxerunt valdè ponderoſas eſſe & materiâ aquâ longè graviori plenas. (*c*) Si quoque ad mundi cunas retrogrediaris idem tibi patebit: In aquâ ſine ordine natabant elementa rerum; hæc ubi ſuperſedere juſſa ſeſe compoſuerunt ordinem gravitatis quantùm fieri potuit ſerva-

---

(*a*) Moſes Oceanum תהום nominat propter profunditatem & תהם רבה ut illum diſtinguat à minoribus maribus Palæſtinæ vicinis, Erythræo, Mediterraneo, Perſico, quæ communiter ים dicebantur.

(*b*) Dan. Bernouilli, Traité ſur le flux & le reflux de la mer, §. XIII. (*c*) Ibid.

runt. Jam verò ſi Terra communis ſuprema aquâ duplo gravior ſit, & in fodinis fere quintuplo, ut aſſerit Newtonus, quid erit ſi ad centrum accedas? Creſcunt procul dubio denſitates nedum earum ordo inclusâ aquâ turbetur (*a*).

Adde quod corpora verſus Terræ centrum locata magnâ ſuperpoſitæ materiæ compreſſione denſari debuerunt, ni Telluris cruſtam inſtar fornicem concipias, quod tamen non probabile. (*b*)

XVI.

Si denique Solem ſpectes, tantus eſt quo fervet æſtus, tanta luminis emiſit effluvia, ea eſt hujus ardoris vetuſtas & continuitas & ſimul tantilla ejus maſſæ imminutio ab Aſtronomis obſervata fuit ut vix concipias illum intus vacuum vel materiâ aquâ ſubtiliori conſtare. Jam nunc Terraquei Globi denſitas media Solis denſitate quadrupla deprehenditur: Ergo Tellus ad minimum quater denſior eſt quàm ſi tota ex aquâ conſtaret. Verùm hoc poſito corruit Abyſſi ſuppoſitio: Ut enim ejus defenſores explicent quomodo magnus ille denſitatis exceſſus in cruſtâ ſolidâ detur duo tantùm dicere poſſunt, 1°. aut varia corpora quibus conſtat eſſe tam denſa ut eorum paucitas pondere compenſetur; ſed ponderatæ ad varias altitudines fodiendo ſolidæ materiæ nunquàm pondus ita immane præbuerunt. Notum eſt inſuper vaſtis ubique cavitatibus cruſtæ ſoliditatem interrumpi, unde minuitur moles. Eâ denſitate egent quæ vincat auri denſitatem, & decies minorem vix obtinere poſſent. 2°. Defectu denſitatis neceſſariò recurrunt ad craſſitiem cruſtæ quam talem eſſe contendunt ut quæſitam materiæ quantitatem contineat. Ultrà progrediantur & eam præciſè definiant: An leucas quinque v. g. ei aſſignabunt? Nedum ſufficiat hæc craſſities vix ultrà centeſimam totius voluminis partem habebunt. An majorem ponent? Contrà ſuam hypotheſim jam argumentantur: Etenim ſi adeò craſſa ſit hæc cruſta, qualis eſſe poterit Abyſſi cum Oceano communicatio? Quàm parvus ejus in atmoſphæram influxus! Quàm arcta ipſa & attributis effectibus explicandis impar! (*c*)

obscurum per obscurius.

XVII.

3°. Fontes præter morem exundantes.

Oceano, ruptis clauſtris (i. e. prætergreſſis littoribus) exundanti, &

(*a*) Phil. Nat. Princ. Mathem. L. III. Prop. X. (*b*) Bern. loco citato.

(*c*) Principium quo innititur hæc Abyſſi poſtrema refutatio nobis communicavit Phyſicus noſtras doctrinâ & ſagacitate inſignis.

& imbribus deciduis addimus fontium eructationem inſolitam in tali agitatione neceſſariam. Hinc torrentes turmatim in ſubditas valles defluere, flumina ſupra ripas attolli, & planities ſub aquis condi cæperunt. Actione jugi mutuas ſibi vires addebant tres illæ cauſæ, & facilè concipitur quomodo earum ope aquæ celeritate magnâ invaluerint, & viventibus ne quidem in fugâ ſalutem quærere datum ſit.

XVIII.

Quis Naturæ in hâc cataſtrophe faciem, quis elementorum pugnam, quis hominum clamoſos gemitus, animalium trepidationem, fugam, mortem miſeram ut par eſt deſcribet? Terris incubabat ubique nox atra. Pro Sole interfuſi nubium ignes tenebris triſtius lumen præbebant; Aer nimbis oppreſſus in aquas ſolvi, tota Natura ad Chaos properare videbantur. Initio, campi ſub undis latentes, ſpes hominum vaſtatæ, ædes inimico fluctu dirutæ, unda ſequax homines perſequens, pernicies ſingulis horis creſcens, novum pariter & terribile ſpectaculum obtulere. Aquis jam grandibus novo paſſim Oceano confuſè natantes homines, animalia, ædium, urbium, agrorum ſpolia apparuere. Interim audiri pereuntium ejulatus, cadentium rupium ſtrepitus, tonitruum fragor, aquæ proruentis ſibilatus, fluctuum fremitus, colluctantium ventorum rabies. Ubi tandem creſcere ceſſarunt aquæ, mutata eſt ſcena, ſed æquè triſtis remanſit Naturæ vultus; vaſtus ubique pontus, altum ſilentium, immenſa ſolitudo.

XIX.

Interim aquis attollitur & ventis acta fluitat Arca, cui commiſſæ ſunt hominum reliquiæ:

Reddas incolumes precor

Et ſerves animæ principium noſtræ.

Undâ ſubſidente hæſit in uno ex Ararathi jugis. Ex nominis etymo & locorum conſtanti traditione patet Ararathum non fuiſſe montem unicum ab aliis ſeparatum, ſed montium catenam à minore Aſiâ exporrectam ad Bactrianam uſque, quam Græci Taurum vocant. In Armeniâ unanimitùs hoc jugum quærunt Docti & duo nominant. *Bochartus* (*a*) putat fuiſſe montem *Al-Judi* cujus indigenæ arcæ locum & reliquias diù oſtentaſſe dicuntur ut honorem ſibi proprium vindica-

(*a*) Bochartus Phaleg. L. I. c. 3.

rent; & *Hieronymus* (*a*) *Maſim* a priore leucis 90. diſtantem, qui ſi fides ejus incolis æquè merito jure quæſitum cacumen offert. Quidquid ſit, conſtet Arcam ex Auſtro ad Boream delatam eſſe, quod ad cauſæ inveſtigationem notari debuit.

X X.

Nec omittamus Noachum, durante totâ inundatione, obſervationes inſtituiſſe; ac primò imbribus exactis nudo cernebat oculo aſcendentes aquas & colles ſtatim ſuperatos; dein humiliorum montium vertices § evaneſcere ac tandem altiſſimorum ipſa faſtigia condi vidit. Ubi deſiit cum vicinis terreſtribus locis comparatio, calculos continuavit aut ope repertæ proportionis aſcenſionum datis temporibus, aut injecto filo, aut deductâ conſequentiâ ex quantitate quâ in aquam deſcendebat Arca, ubi illam liberè fluitare ſenſit. Feliciſſimè denique deſcenſum ope corvi & columbæ determinavit.

X X I.

VII. ℣. 24. & VIII. ℣. 3. His mediis comperuit aquas aſcendendo tantum temporis inſumpſiſſe quàm deſcendendo, & ſequentes novem diſtinxit Epochas quas ut inundationis Diarium menſibus in dies diſſectis referemus.

VII. ℣. 12. I. Die quadrageſimâ ceſſarunt imbres & Arca fluitare cæpit.

VIII. 1. 2. II. Ad diem uſque 150. prævaluerunt aquæ Oceani, & fontium actione mutuâ allatæ. Hâc etiam die in alveum regredi cæpit Oceanus ceſſante videlicet motûs cauſâ ac vento vehementi ad hoc immiſſo, refluxum adjuvante, & fontes aquas unà reſorpſerunt.

℣. 4. III. Die 180. Arca in Ararathi jugo ſubſtitit. Dies triginta inter ſecundam & tertiam Epocham notati indicare videntur in maximâ altitudine fuiſſe quoddam veluti *Aquiſtitium.*

℣. 5. IV. Die 213. (*b*) humiliora vicinorum montium juga exſtiterunt.

℣. 6. 7. 8. V. Die 253. Arcam aperuit Noachus & exploratores in planitiem corvum atque columbam immiſit, quarum avium prior non rediit, videlicet aliquod cadaver nacta, poſterior in azylum ſtatim revolavit. Temporum diviſiones jam preſſiùs ibunt.

℣. 10. VI. Die 260. columba iterùm emiſſa olivam attulit.

℣. 12. VII. Die 267. Noachus lætior adveniente fine Diluvii eandem avem emiſit non redituram.

℣. 13. VIII. Die 313. Arcæ operculum removit & circumſpiciens ſiccum ubique eminuiſſe vidit.

IX.

(*a*) Hieron. in Eſaï. XXXVII. (*b*) In hoc numero ponendo ſecuti ſumus τῶν LXX.

§ Id oculis ipsius impossibile erat: Quoniam si continua fuit pluvia nullum objectum, leucas distantiorem, cernere poterat. Si nulla fuisset pluvia, Coelo maxime sereno, ad duodecim vix Leucas montium cacumina potuisset distinguere.

IX. Die 370. jubente Deo nave deſcendit. ℣. 14.

Hanc temporum rationem ita ἀκριβῶς deſcriptam abſque provido Numine non crediderim 1°. Inde enim certius evadit factum quàm ſi indeterminatè narratum eſſet 2°. Aquarum aſcenſus & deſcenſus ita rerum naturæ congruus illud ad captum noſtrum accommodat 3°. De cauſâ per effectum judicatur. Hic autem abeſt tumultus & datur uniformitas : Cauſa quæratur conſtans & placida.

XXII.

Hìc anxiè multa ſciſcitantur. In tantâ rerum copiâ parci, duas tantùm quæſtiones attingemus, primam de aquarum altitudine maximâ, & alteram ei affinem de cladis univerſalitate.

Priori reſpondet ipſe Moſes. *Aquæ prævaluerunt quindecim cubitis* VII. 19. *ſuprà altiſſimos montes qui ſunt ſub omni cælo.* Sed illa an ad litteram reſecanda ſunt, an ſenſu minùs ſtricto accipi debent? Mitiorem partem eſſe ſequendam indubium nobis videtur. Etenim litteræ adhærendo, quanta naſcuntur creditu difficilia! Computatâ aquarum ſecundùm hunc calculum mole, habuimus Maſſam leucarum cubicarum 25770000. talem nempe quæ ſi ſupponas Telluris partem dimidiam his aquis obtegi mare conficeret ubique leucas 2 profundum. (*a*) Ut ſubitum tantæ molis adventum explices an rerum Naturam ſollicitabis? Quoquomodo te vertas tanto partui impar erit. Num aëra in aquas condenſatum finges? Condenſationem perfectam ſupponendo ſphærica dabitur Zona non altior 32 pedibus. Num aquas ad aëris raritatem attenuatas dices? Erit eluvio nebula, non aqua, & ſubere levior Arca tibi ſupponi debebit. Num fluviales aquas afferes? Lymphæ guttam dediſti, & Oceano egemus. Num marinas? Decem Oceani vix ſufficerent. An abyſſum invocabis? Poſitâ ejus exiſtentiâ non aſcendet niſi ruente in barathrum ſuperpoſitâ Terrâ ideòque effractis montibus, quod Moſis narrationi repugnat. An nubes immodicas coges? Profectò non plus aquarum præbebunt quàm à Tellure ducunt : Num verò victus ad miraculum in limine confugies & ſuppones Deum creaſſe aquas ſubinde annihilandas? Nodum ſecas, non diſſolvis. Obſtat inſuper Textus: Cauſæ inundationis naturales afferuntur: Eſt in effectu uniformitas & conſtantia: Placidè advenerant aquæ, æquè placidè abeunt.

(*a*) Ut illius maſſæ imago clarior adhuc menti ſiſtatur, concipi poteſt in Sphæram coacta; Illius Sphæræ diameter eſſet circiter leucarum 366.

XXIII.

Igitur verba Moſis pro ſubjectâ materiâ intelligentes credimus illum non de aliis montibus loqui quàm de iis quos noſſe debuit Noachus traditionis parens, & per ea quæ cælo ſubjacent intelligere has plagas quas ipſi circumſcribebat horizon. Quid enim? An Athon, an Helveticum noſtrum Montem-Album, an Andes Americæ noverat? In Meſopotamiæ vaſtis planitiebus veroſimiliter habitabat & judicium tulit è Tauri jugis ubi Diluvio ad ea delatus eſt. Hæc autem omnium celſiſſima non dicunt viatores. Cæterùm omnes norunt vocem כל *omnis* apud Hebræos non ita determinatam eſſe ut Mathematicè ſemper ſumenda ſit. Exempla ſunto loca Gen. XLVII. 13. Exodi IX. 6. & Deut. II. 25. Celebris eſt hâc de re Senecæ locus qui particularem eluvionem deſcribens hæc habet. *Obrutis omnibus terris cæloque in Terram ruente.* (*a*)

XXIV.

At, aiunt, minuitur ita difficultas, non tollitur. Nam ſi Tauri juga quindecim cubitis ſuperârint aquæ, ut ad modicam molem redigantur, alicubi pendulæ concipiendæ ſunt, quod aquarum indoli repugnat vel miraculum ſupponit novarum creatione non veroſimilius. ℞. Neutrum volumus & quoniam inundatione ſingulari quidem & magnâ res facta videtur, aliquid ſimile Phænomenis inundationum concipimus. In terras incurrit Oceanus ſenſim progrediens, tum ubi ad montes pervenit, gradatim intumeſcens vertices attigit, quo tempore deſuper in ſubjectas regiones defluens, viam ultrà perrexit, ſed ita tamen ut aquarum altitudines in diverſis locis eſſent diverſæ & fluctus in apicem deſinerent. Rem eo modo peragi potuiſſe ut Oceani aquæ ſufficerent, illæſis hydroſtatices regulis & ſalvâ Geneſeως hiſtoriâ poſtea probare tentabimus.

XXV.

His admiſſis aliquid lucis affunditur in alteram quæſtionem de Diluvii *univerſalitate.* Duplex concipi poteſt; aut enim Globi plagæ ſingulæ ſub aquis ſimul condebantur & Tellus in Sphæram aqueam verſa eſt; aut gradatim inundatæ ſunt undâ orbem peragrante. Prior *ſimultanea*, poſterior *ſucceſſiva* dicitur. Utraque Scripturæ conſona eſt, ſed poſterior

---

(*a*) Quæſt. Natur. L. III.

rerior ad Phyſices ingenium magis accommodata videtur. Hanc itaque pro genuinâ rei concipiendæ ratione habemus.

X X V I.

Longiùs proceſſerunt viri Cel. Voſſius (*a*), Stillingfleet (*b*), Clericus (*c*) & probarunt Diluvium reſtringi potuiſſe ad eas Orbis partes quas homines tempore cladis incolebant. Paulò forsàn audaciùs ante-diluvianæ ſobolis numerum, & aquæ ſedes ejus inundantis limites definierunt, at ſi latiores æquo conſequentias deduxerint, ſapienter poſuere duo principia: *Primum* eſt verba Moſis ℣. 20. 21. 22. 23. quæ primâ fronte tam diſerta videntur aliquantùm reſtringi poſſe ſi attendatur ad indolem linguæ Hebræorum & ad tempus quo hæc tradebantur, ideòque ſecùs accipi debere quam ſi à Geometrâ noviſſimis diebus dicta fuiſſent. *Secundum*, homines, ut multi volunt, totum orbem ante diluvium non texiſſe. Contrarium patebit cuivis lentas primorum hominum ſucceſſiones relegenti & calculum inſtituenti ex analogicis *populationibus* quas in diverſis locis ac temporibus obſervârunt. Hoc poſito, ſi durius alicui videatur aquam ad loca hominum habitaculis nimis remota, ad utrumque Polum, v. g. per medias ſolitudines perveniſſe, cùm illius undarum progreſſûs inutilitas ejus certitudinem minuat, abſurdum nihil aut Moſaïcæ narrationi contrarium dixiſſe judicabitur ſi tales plagas excipiat. Quidquid ſit, hîc plura quærere nimis arduum, & certiùs affirmare temerarium eſſet. C. VIII.

X X V I I.

Fugatis aquis, Arcâ deſcendens Noachus Servatori Deo pias egit grates, contra rediturae eluvionis metum, ſigno, non quidem naturali & tunc tantùm creato, ſed hunc in finem monſtrato, munitus eſt. Continuò fœdus cum redivivo hominum genere pepigit benignum Numen: Brevi interruptus rerum ordo redire, eluta Tellus revireſcere, aquæ ad Naturæ non perniciem ſed vitam inſervire, prata gramine, agri ſegetibus, montes ſylvis veſtiri, animalia ſervata in ſedes quæque ſuas diſpergi, Noachidæ à campis *Sennaar* quaſi centro promptâ *populatione* diſcedentes circumquaque diffundi & viventium genus omne Orbem utrumque complere cæpit: At ire per ſingula non vacat. Eventûs ſummam Criticè expoſuimus. Illum jam Hiſtoricè vindicemus.

(*a*) Voſſius in Ep. ad And. Colv. (*b*) Stilling. Orig. Sacræ L. III. c. 4.
(*c*) Cleric. Comment. in Geneſ. ad locum.

PARS SECUNDA

Hiſtorica.

XXVIII.

IN limine hæc omnia urgeri poſſent argumenta quæ Moſis Annalibus fidem & teſtimonio pondus faciunt. Quàm aureus in ſcribendo candor, quàm mira in factis narrandis ſimplicitas, quàm ſedula in eorum circumſtantiis deſcribendis cura in eo emicuerint, fuſiùs diducere jucundum eſſet nec ab inſtituto noſtro alienum. Ex his inter Hiſtoriæ priſcæ Scriptores principem locum facilè obtinuit. Hinc Veterum multi paſſim eum laudant, traditiones ejus quantùmvis adulteratas adducunt, iiſque gentium hiſtorias ac mythologiam quaſi fundamento ſuperſtruunt; ſed hæc trita nimis ac generaliora.

XXIX.

Ut nos intrà defendendi facti carceres contineamus, ejuſmodi eſt ut re, ſeorſim ab aliis argumentis conſideratâ, ſtare nequeat eorum ſuppoſitio qui Moſem hìc vana commentum eſſe dictitant. An deceptorem, an deceptum illum dicent? At 1°. nil ſuadet eum ſpe lucri vel gloriæ aut partium ſtudio phantaſticæ cladis hiſtoriam texuiſſe. 2°. Fingendi ratio diverſa planè adhiberi ſolet. In vago ſubſiſtunt qui fabuloſa facta veris aſſuunt. Moſes in Diluvio cuncta definit, rationes, epocham, cauſam cladis; tempora diſtinguit, homines tunc viventes nominat, per eventûs ſingula digreditur. 3°. In tali facto fingere omninò impoſſibile fuiſſet. Quid enim? An agebatur de eventu parvi momenti intrà parietes privatos peracto? Tam latè patuerat ac habitabilis Orbis mœnia, nec ullus à Mundo Condito memoriâ dignior extiterat. Paucæ hominum ætates interfluxerant. Unaquæque gens traditos à Patribus eventus maximè inſignes ſuæque originis memoriam ſervabat. Si de Diluvio antè Moſem nil fuiſſet auditum, quis concipiet monſtroſa adeò fabulantis audaciam & hominum ea accipientium ineptam credulitatem? Si verò deceptus à Patribus dicatur Moſes iiſdem ferè argumentis victa cadet ſuppoſitio: applicentur enim quæ de Moſe deceptore diximus iis qui eum deceperunt & eadem abſurda

fluent. Neminem præterea latet Traditiones hiſce temporibus conſtantes fuiſſe, numeroſas, defectu monumentorum neceſſarias, ideoque ſat accuratas & è quibus collatis veritas, de re notabili, poſt annorum ſeriem non ita longam, erui poterat. Res exemplo illuſtrabitur: Si quis combuſtam ante trecentos annos, i. e. circiter decem ætates Tellurem & hominum genus omne exſtinctum paucis exceptis fabularetur, quis dictis fidem adderet? Reclamarent continuò hiſtoriæ, monumenta, aliorum de tali conflagratione ſilentium. Non ipſe Pyrrho orbem ab eo impoſtore decipiendum putaverit. Et vice verſâ, ſi Tellus flammis reverâ præſtito tempore aduſta eſſet, an multùm adulterata ad nos perveniret cladis hiſtoria? Vix concipio: Hæc Diluvii narrationi accommodes & erroris perinde ac fraudis metus exulabit.

XXX.

En internum argumentum. Adſunt inſuper externa & quidem duplicis generis. Unum hiſtoricum, alterum naturale. Primum præbebunt priſci Gentium Annales, alterum ipſa Tellus.

Ad primum, in anteceſſum obſervo 1°. Multa in Veteribus legi ad eluviones pertinentia quæ ad noſtram *Noachicam* trahi non debent. Talia ſunt *Bæoticum* ſub Ogyge *Diluvium*, in Moſis tempora Cedreno teſte incidens, *Ægyptiacum* ſub Prometheo, de quo Diodorus, & fortè *Theſſalicum ſub Deucalione* rege, à Poëtis ſæpiùs deſcriptum, quod tamen multi idem eſſe ac Noachicum autumant. Hæ eluviones & aliæ minùs inſignes, ſi de planitiebus agatur, per fluminum exundationem, nivium ſolutionem, torrentes immodicos, facilè explicantur, & quæ in regionibus maritimis & depreſſis contigiſſe dicuntur maris incurſui cuidam inſolito forsàn debentur, ſed uni regioni propriæ ſunt ideòque cum noſtrâ non confundendæ. 2°. Inquirimus in tempora quæ *Græcis fabuloſa* audiunt; Non mirum igitur ſi Traditiones incohærentes, mutilas, ridendis commentis refertas pro teſtimoniis habeamus. Ad facti fulcrum ſatis eſt ſi veritatis hiſtoricæ veſtigia in mediis hiſce fabulis clarè cernamus & aliquid lucis nubem atram permeans Solem adeſſe doceat. 3°. Negotium nemini faceſſere debet quod gentium omnium teſtimonia non habeamus. Inter hiſtoricos pauci ad primævi mundi tempora aſcenderunt, ſeu monumentorum defectu, ſeu ut indigenarum gloriam genti ſuæ vindicarent, ſeu quòd populorum originem in unoquoque loco tradere ſatis haberent. Et ex iis qui mundi infantiam ſcripto perſequuti ſunt, quàm multi

Exemplum illud nullomodo stringit, quoniam nulla est similitudo. Praeterea Theologia comparativa non est argumentativa.

abſurda & manca pro veris ac completis dedere? Quot quorum ſcripta injuriâ temporum intercepta ſunt? Præter Moſem ad exponendum bis mille annorum ſpatium vix aliud quàm traditionum fragmenta habemus.

X X X I.

Traditiones Chaldaicæ.

His poſitis, ſi cautè procedentes *Chaldæorum* primò Antiquitates ſcrutemur, occurret *Beroſi* (*a*) ſacerdotis Babylonii hiſtoria Diluvii, Moſis narrationi ſimillima. Etenim 1°. poſt decem hominum ſucceſſiones generalem inundationem contigiſſe narrat 2°. (*b*) *Cronum* ea imperantem Xiſuthro quæ Deus Noacho, inducit 3°. Xiſuthrum navem maximam ædificaſſe refert in quam cum cognatis & animalibus ingreſſus eſt. 4°. Aves ter immiſſas & quo ſucceſſu memorat. 5°. Addit navem in monte hæſiſſe 6°. Denique ordine etiam narrantur Arcæ apertura ad explorandas aquas facta, Xiſuthri deſcenſus, Sacrificium ab eo Diis oblatum. In his conſentientes Beroſus & Moſes in multis aliis diſcrepant, & Chaldæus auctor Xiſuthrum in cælos avolaſſe fingit, ſed maximi momenti ſunt ea in quibus concurrunt. Apud (*c*) Abydenum legitur ejuſdem facti traditio non abſimilis.

X X X I I.

Traditio Syriaca.

Diſertior adhuc eſt *Lucianus*: Docet ſobolem hominum ſuo tempore viventem, non primam orbem incoluiſſe, at præextitiſſe gentem nefariam aquis ideò perditam. Illas aquas non ſecûs ac Moſes, partim à Terrâ, partim à mari, partim cælitùs à pluviis acceſſit. *Deucalionem Scytham* ſolum ob pietatem ſervatum unà cum familiâ & animalibus in Arcâ (non in nave) incluſum dicit, & memorat aram ab eo erectam in loco quodam Syriæ in quo gurges apertus aquas abſorpſerat. (*d*)

X X X I I I.

Traditiones Ægyptiacæ.

Quò magis ab Aſiâ ſuperiore diſcedimus eò rariores & minùs diſertæ traditiones afferuntur. Attamen conſtat Ægyptiis notum fuiſſe diluvium 1°. ex hâc diviſione in Deos & Semi-Deos quam adhibebant in Regum Dynaſtiis, quorum hi ante, illi poſt Diluvium veroſimiliter

(*a*) Alex. Polyh. ex Beroſo apud Syncellum & apud Cyr. contra Julian. L. I, Eund. locum laudat Joſeph. contrà Appion.

(*b*) Obſervat Philo apud Euſeb. τον Κρονος Græcis eundem fuiſſe ac *Il* Syriis; Syrii autem *Il* pronunciabant quod Hebræi אל *El* nempe Deum.

(*c*) Abyd. apud Sync. Euſeb. de præpar. Evang. L. IX. c. 12.

(*d*) Lucianus de Deâ Syr. T. II.

militer regnarunt. Priorum ultimus fuit Typho, cujus nomen etiamnum Arabibus inundationem ſonat. Illum in Diluvio periiſſe ex Plutarcho colligitur. (*a*) 2°. Si Platoni fides, Soloni in Ægypto iter facienti Sacerdos quidam Ægyptius ex Veterum libris affirmavit, olim contigiſſe Diluvium quoddam univerſale, eluvionibus Græcorum latius multò & antiquius. (*b*) 3°. Eandem apud illos opinionem viguiſſe aſſerit *Diodorus Siculus.* (*c*) 4°. Hoc tandem innuit *Juſtinus* dum Scythas & Ægyptios de ſuæ gentis vetuſtate teſtantes inducit. Uterque populus ab eluvionis univerſæ epochâ proficiſcitur, Ægyptiis primas urbes à ſe continuò conditas affirmantibus, Scythis ex altitudine ſoli ſuam regionem primam exaruiſſe contendentibus. (*d*)

XXXIV.

Traditio Perſica.

Magorum in Perſide & Bactrianâ opinionem hoc circa ſervavit *Thomas Hyde* in libro de Religione veterum Perſarum. Meminerant cladis univerſæ & primorum hominum nequitiæ, inter quos unum, nomine *Malchum*, injuſtitiâ & impietate cæteros omnes ſuperâſſe dicebant.

XXXV.

Traditiones Indicæ.

Indos adeamus. Diverſæ ſunt *Brachmanum* in Diluvio exponendo opiniones, ſed notabilior à Moſe non abludit. Aiunt virum quemdam è gente ſuâ, nomine *Sattiavarti*, ſupremo Deo *Witchnou* acceptum, eo jubente, in montem altiſſimum aſcendiſſe, dum tota regio ſub aquis lateret. Imbrium vis magna ceciderat & alveo relicto in terras proruperat Oceanus. Omnia periere. Soſpes evaſit ſolus *Sattiavarti*, in cymbâ quam ipſi monſtraverat amicum Numen, quod ipſum non dedignatum eſt illam per æſtuoſas undas regere. (*e*)

XXXVI.

Traditio Italica.

De primis Italiæ incolis locus eſt Plinii quo illos Diluvii non prorſùs ignaros fuiſſe demonſtratur. Ex iis antiquiſſimos *Umbros* à Græcis ita dictos vult ἀπὸ τȣ ὄμϐρȣ, ab imbre, quòd ſoli univerſæ inundationi ſuperfuerint. (*f*)

XXXVII.

Traditiones Græcorum.

Prætereo Romanos gentem novam, quippe quæ à Græcis ſuas tra-

(*a*) Plutarchus de Iſide & Oſiride. (*b*) Plato in Timæo. (*c*) Diod. Sic. Hiſt. Lib. I. (*d*) Juſtinus Lib. II. c. 1.

(*e*) Recueil d'Obſervations ſur différens peuples d'Aſie, d'Afrique & d'Amérique, Tom. I. (*f*) Plin. Hiſt. Natur. L. III. c. 14.

ditiones unà cum artibus hauſerat, ſed ſi in Græcos inquiram, multa quidem occurrent de duplici eorum Eluvione Bæoticâ & Theſſalicâ, ſed eo modo poſtremam deſcribunt, ut amplior clades innuatur & noſtra per ſpeciales circumſtantias deſignetur. (*a*) Hoc intellige ex inclytâ Ovidii deſcriptione quæ latiſſimam pingit calamitatem & in multis Moſem refert. (*b*) Notanda ſunt etiam Manilii verba.

Sic quondam merſerat urbes
Humani generis, cùm ſolus conſtitit hæres
Deucalion, ſcopuloque orbem poſſedit in uno. (c)

Plutarchus, Lib. de *Induſtriâ Animalium*, Arcæ & Columbæ meminit.

XXXVIII.

Traditiones Sinenſium.

De Sinenſibus dubitatum eſt. Vir Arabs, qui in Sinam iter fecerat Sæc. IX. Auctor eſt eos de Diluvio quidem loqui, at credere illud ſpeciale tantum fuiſſe. (*d*) Verùm ea ſunt in eorum hiſtoriâ quæ ad Noachi cataclyſmum quaſi manu ducunt. Primi Reges regionem vacuam & aquis ſtagnantem inveniſſe dicuntur. Fohi in cymbâ Iride cinctum adveniſſe ferunt; navigiis Arcæ formam conſtanter dedere; uvas habentes vino abſtinent, forſan memores imprudentiæ Fohi quem Docti magni nominis eundem eſſe cum Noacho contendunt. Has tamen conſuetudines potiùs ut levia indicia quàm ut completas demonſtrationes afferimus.

XXXIX.

Traditiones Scandinavorū.

Ex Ortu ſi ad Occaſum & hinc ad Boream transferamur, videbimus Muhammedanorum familias idem cum nobis ſentientes, quod à Patribus procul dubio acceperant. De Scythis teſtantem Juſtinum jam audivimus. Eadem denique fama apud ultimo remotos Aquilone Scandinavos viguit. Pretioſam hanc-ce traditionem, è religioſo carmine veteri deprompſit Cel. D. Mallet. In eâ quidem, nullâ temporis factâ diſ-

---

(*a*) Videntur duo eventus, unus altero antiquior propter ſimilitudinem commixti. Duos etiam *Deucaliones* extitiſſe multa clamant, alterum Theſſalum recentiorem, quo regnante Theſſalia inundata fuit, alterum eundem cum Noacho quem Lucianus Scytham dicit, quòd in Septentrione Syriæ degiſſet & in montibus Scythiæ vicinis fluitando hæſiſſet. In eum cadunt quæcunque alii adſcribere temporum ratio & eventûs amplitudo vetant. Nominis ejus etymon magno labore ſollicitant, ſed ſufficit quod uterque ſervatus ſit ab aquis. Græci inundationi ſuperſtites *Deucaliones* dixerunt ut nos, patientes, *Jobos*; hypocritas, *Phariſæos*.

(*b*) Metam. L. I. ℣. 240. (*c*) Manil. Aſtron. Lib. IV. (*d*). Anciennes Relations des Indes & de la Chine, p. 67.

tinctione, creatus & continuò ſubmerſus dicitur Orbis ac ſanguinea perhibetur eluvio, ridendæ cauſæ unius ſc. Gigantis cædi debita, at præcipuorum de univerſalitate cladis & ſalute paucis per cymbam conceſſâ omnibus agnoſcenda remanent veſtigia. (Introd. à l'Hiſt. de Dann. C. VI. p. 95.)

X L.

Neque id ſolùm. In Americam uſque pervaſit Diluvii fides. *Robſon* Anglus teſtatur prope ſinum Hudſonicum, veteri traditione doceri, regionis incolas omnes ſub aquis periiſſe, exceptis octo qui cymbâ vecti aufugere. (*a*) *Mexicanorum* antiquiſſima monumenta, teſte *Carreri*, eluvionem olim contigiſſe affirmabant, imò columbæ meminerant. (*b*) De *Peruanis* ſimile quid narratur. (*c*) In inſulas imò irrepſit noſtræ inundationis memoria. Etenim de Cubæ incolis refert *De Herreras*, ſenes plus quàm ſeptuagenarios in recenſendis apud inſulæ ſuæ domitores priſcis traditionibus, illam non omiſiſſe, imò in ſingulas circumſtantias, Arcæ, avis exploratoriæ, ebrietatis Noachi *&c.* ita deſcendiſſe, ut ad aliam eluvionem alluſiſſe concipi non poſſint quàm ad Univerſalem noſtram. (*d*)

Traditiones Americanorum

X L I.

E tot tamque diſertis teſtimoniis quid inferendum? An de monumentorum penuriâ conqueremur ultra ſpem locupletes? Mirum ſanè videri debet factum ita antiquum, ita populorum omnium hiſtoriis prius, apud tot gentes traditione conſtanti, multiplici & in præcipuis ſibi ipſi conſonâ transmiſſum reperiri. Quid ſtultius quàm commentum hîc ſuſpicari? Illud ſi quis negaverit eradat neceſſe eſt non modò Moſis ſed & maximè venerandos cunctorum quos diximus annales.

X L I I.

Huic argumento nova vis accedet, ſi Gentium originem, Regnorum fundationes, *populationum* progreſſum ſedulò revolvamus. Si prolis humanæ generationum ſeries universâ clade ubique non interrupta ſit, cur Europa incolis tam ſerò frequentatur? Cur lentè adeò Imperia fun-

(*a*) Rélation d'un ſéjour de 6. ans dans la baye d'Hudſon, Lond. 1752. (*b*) Hiſt. Gen. des Voyages T. XII. p. 523. (*c*) Hiſt. Univ. Angloiſe T. XIII. p. 142.

(*d*) Notabile eſt reſponſum unius ex his inſularibus datum Hiſpano cui nomen erat *Gabriel de Cabrera.* Cùm nato inter eos jurgio contumelioſus iſte eum canem appellaret, reſpondit Indus; *Cur hoc nomine me appellas cùm fratres ſimus? Nonne genus uterque ducimus à gemino filio illius qui magnam navem ædificavit.* Vid. Ant. De Herreras in ſuâ Amer. Hiſt. Decad. I. Lib. IX. Cap. 11.

dando procedunt? Cur hæc Imperia infirma adeò narrantur? Certè *Rex Regum* Agamemnon & *latè potens* Priamus cum Regibus noſtris vel minimè potentibus à nemine conferentur. Spatio bis mille annorum, procul dubio, ad magnam molem creviſſet hominum numerus & invaluiſſent Imperia; Tellus non ubique ferè fuiſſet opacata ſylvis non niſi gradatim & ſerò ſuccisis. Suam quidem vetuſtatem jactant Ægyptii, Chaldæi, Sinenſes & afferunt Regum ſucceſſiones. Ac ſanè pyramides quædam ante Diluvium erectæ videntur, nec omninò improbabile eſt regna quædam cladi præextitiſſe, ſed ex hoc ipſo veritas elucebit. Etenim in illis ſucceſſionibus Diluvii Epocha ita notatur, ut apud Ægyptios & Sinenſes in eâ novæ incipiant Dynaſtiæ, & Chaldæorum Rex tunc vivens Xiſuthrus is ipſe ſit quem Beroſus inundationi ſuperfuiſſe tradit. (*a*) Si nihil interfuerit quid hærent Annaliſtæ & quorſum lacunæ? Explicent denique qui Diluvium negant cur in Noacho quærenda ſit & reperiatur ſtirps priſcarum gentium, ut in ſuo *Phaleg* demonſtravit Bochartus. In regione in quam ſoſpes deſcendit Noachus, prima regna, primas artes, prima monumenta videmus. Vix pubeſcebant aliæ Gentes, cùm ad potentiæ culmen Aſia pervenerat, & inter Orbis cogniti partes prima ſenuit. Ex hoc uno apiari nova identidem examina quaquaverſum ſeſe diffundebant. Primos incolas debent Phænicum coloniis Africæ Borealis ora & Europæ littus Auſtrale, Italia Græcis ac Phrygiis, novus Orbis iiſdem forsàn Phænicibus. (*b*) Interim ſuperfluæ familiæ in Continentes ſenſim ſed lentiùs progrediebantur. Ita Scythæ Septentrionem invadebant uſque dum ad Aſiæ extrema provecti in Americam ad ortum ſuas etiam familias infunderent. Id docent omnes Hiſtoriæ, ſed nullibi Terrarum aliud tale monſtrant *populationis* centrum. Quis igitur dubitabit Terricolarum genus omne ut per unum hominem ſatum eſt, ita per unum renovatum eſſe?

XLIII.

Hinc patet vanum eſſe quod objiciunt, omnes Traditiones à Moſe derivari, ideòque vim earum omnem in Moſis teſtimonium denique

(*a*) Hæ lacunæ ſpontè ſe offerunt in Tabulis Regum qui in tribus his-ce Imperiis regnarunt. De Ægyptiis vide Hiſt.Univ.Angl.T.I. p.155. De Chaldæis eundem librum T.I. p.150. Quod ſpectat Sinenſes ſufficiunt quæ de Fohi Th.XXXVIII. diximus.

(*b*) Vide quoque hoc circa Bocharti Geogr. Sacræ Partem alteram ſeu Chanaan In hâc, ut in Phaleg mirâ induſtriâ probavit in uno Cap. X. Gen. omnium ferè Gentium Duces primarios deſignari.

reſolvi, nam 1°. Dato non conceſſo Moſem illarum traditionum unicum parentem eſſe, ſic agnoſcunt populis omnibus communem originem fuiſſe. Etenim ſi diverſa fuerit, abſurdum eſſet dicere famam de Diluvio orbe toto percrebuiſſe eo tempore quo ſcribebat Moſes, & ita altè ingenitam eſſe hominum mentibus apud Gentes maximè diſſitas, & inter ſe diviſas locorum intervallis, morum, cultûs, linguarum diverſitate, ut omnes illam ut paternam traditionem haberent & poſteris religiosè tranſmitterent. Quod ſi concoquant, egregiè Moſem laudant: Auream enim veracitatem in Scriptore arguit tam immenſa ſcriptis ejus conceſſa auctoritas & hoc poſito ſufficeret ita luculentum teſtimonium; Verùm 2°. contendimus probabile dici non poſſe varias illas traditiones non eſſe Moſe antiquiores. Inter eum & Diluvium effluxerant nongenti ferè anni, & Terra incolis jam latè repleri ac Nationes diſcerni cœperant. Igitur ſingulæ coloniæ ſecum abſtulerant primarum rerum memoriam, quam ut ab uno fonte puriſſimo omnes hauſerant, ita certam & aliis de eodem facto ſimilem omnes retinuere. Quod pleræque circumſtantias Diluvii Univerſalis ad ſuam regionem trahant, cùm de Noacho, Armeniâ, & Araratho omnes loqui debuiſſent id amore loci & temporum lapſu factum putamus.

X L I V.

Ergo ab Hiſtoriâ mirè fulcitur Diluvii fides; ſed nobilius adhuc animo noſtro obvium ſeſe ſiſtit argumentum, illud nempe quod ex internâ Telluris fabricâ ducitur, in quo utinam numeroſiores & accuratæ magis obſervationes occurrerent, Philoſophorumque conſenſus ad verum uno tramite mentem duceret, cùm diſſenſus ſollicitam ſexcentis hypotheſibus diſtrahat.

X L V.

Phænomena Theor. Telluris quæ ad Diluvium referuntur.

Ad tria potiſſimùm facta redigi poſſunt quæ ex Telluris Theoriâ à plurimis deducta ſunt ad rem noſtram ſpectantia. Et I°. quidem omnibus obvia eſt *ſuperficiei inæquabilitas*: Animo ſeponamus quid quid Globo noſtro decoris & cultûs addiderunt Natura plantis illud obtegendo, & homines aſſiduo labore illum æquando aut ornando, Oceani vas immenſum aquis vacuemus, & cavernarum opercula removeamus; quid ſpectantibus offeretur? Superficies ſcabra, curvis ubique ſui diſſimilibus terminata, hîc in cavitates immenſas depreſſa, illic ad altiſſima faſtigia ſeſe tollens. Interdum leni clivo deſcendit, ſæpè abrupta lacunis diſtinguitur. In toto tractu eminent tumuli ſeu montes, ſed abſque lege diſpertiti. Alii humiles, alii excelſi; Hi ſoli ja-

§ mera hæc est suppositio. Eadem erat terra antè et post Diluvium, quoad montes, mare et flumina; nam si flumina erant, montes dari debebant unde fluerent, valles quo fluerent oceanus

cent, illi collecti provincias totas obtegunt, cæteri agmine longo exporriguntur. Plerique fiſſi ſunt & cuncti multiplicis ac diverſæ formæ. Rupes paſſim aut dejectæ ruderum adinſtar in ſolo jacent, aut à montibus pendent. Ignes per Vulcaniorum ſpiracula evomiti, materiarum ſpecies diverſæ in variis locis obviæ, flumina, lacus, voragines, inſulæ, confusè & quaſi caſu ſparſa videntur. Omnia laceri mundi imaginem offerunt & ſubverſam Tellurem clamant. *nequaquam: vide ad calcem*

XLVI.

IIº. Si jam cum foſſoribus in interiora Terræ deſcendamus, paulò plus ordinis, ſed nec ſine aliquâ confuſione deprehendemus. Ejus cortex conſtat variis ſtratis ſibi invicem ſuperpoſitis quæ vel materiâ vel colore diſtinguuntur, aut vacuis intervallis inter ſe dividuntur. In planitiebus hæc Strata plerumque horizontalia ſunt & inter ſe parallela, ſed unà cum montibus aſcendunt & inflectuntur. Eas inflexiones; diverſas ſingulorum ſtratorum craſſities, proportiones ſpecificæ gravitatis juxtà quas aſcendunt aut deſcendunt ad definitas regulas exigere multi tentarunt, ſed nihil abnorme magis habet Natura. Nulla datur curvarum ſpecies quam non affectent ſtratorum ſuperficies, nulla angularis quantitas in quâ ad horizontem ſeſe non inclinent. In denſitatum proportionibus continui fiunt ſaltus: ſic ponderoſi lapides arenæ levi inſident; ſtrata paucos pedes craſſa aliis ſtratis incumbunt immanis altitudinis. Hæc docent inſtitutæ in diverſis locis obſervationes. An hæc terreſtris materiæ diſpoſitio ubique terrarum & ad ſummam profunditatem obtineat ignoramus. Nemo exploravit immenſos tractus qui aquis ſubſunt aut incolis barbaris vel nullis referti ſunt, raræ patent adapertæ fodinæ & quæ aperiuntur vix ultrà $\frac{1}{8000}$ diametri Telluris deſcendunt. Jam verò fida parum in talibus augurandis analogica methodus. *recte*

XLVII.

IIIº. Quod maximè notandum, in his ſtratis inſerta reperta ſunt heterogenea corpora, vegetantia præſertim, tum marina, tum terreſtria magno numero, ad quamcunque profunditatem fodiendo perventum ſit, in ipſis montibus & in omni hactenus exploratâ regione. Hæc Foſſilia figurata dicuntur & ad tres ſpecies rediguntur.

Prima perfectiſſima priſcam naturam retinuerunt & cunctis ſenſibus agnoſcendas præbent plantarum aut animalium partes. Talia ſunt dentes, oſſa, cornua animalium, piſcium ſpinæ, conchæve, ligna ſubterranea, quantumvis injuriâ temporum confracta aut comminuta fuerint. *magnopere cavendum ne hic te decipias, vel ab aliis decipiaris*

§ Contrarium ipse vidi multis in Anglia cavernis. Hic nulla est regula

2°. Sunt quæ oculis mentiuntur animalia vel plantas, ita accuratè eorum formam exhibent, ſed attentiùs conſiderata, lapidea vel metallica deprehenduntur. Probabile eſt metamorphoſim ævo labente factam novarum partium intruſione, dum vera ſubſtantia minùs durabilis avolaret. Ejuſmodi ramos, fructus, piſces, animalium & hominum oſſa magnâ copiâ oſtentant Phyſicorum officinæ.

Lapides ſignati tertiam ſpeciem conſtituunt. In iis impreſſæ videntur plantarum animalium & teſtarum partes, & eâ quidem curâ ut idem ordo partium ſervetur & in pleriſque ne quidem pulviſculus deſit ad perfectam repræſentationem. § Tanto numero è terrâ effoſſi ſunt hi lapides, tantam offerunt effigierum varietatem, ut dubitari nequeat corpora quæ pingunt eis adhæſiſſe dum molles adhuc eſſent. Conſtat igitur terreſtres ac marinas exuvias nativâ ſede motas in Tellure incluſas eſſe, quæ ut in priore caſu ſe ipſas offerunt, in ſecundo locum à ſe occupatum oculis ſubjiciunt, & in tertio ſui veſtigia æquè authentica monſtrant. *Gratis supponit molles fuisse lapides illos, imò animalibus multo molliores;*

X L V I I I.

An illa Terræ diſpoſitio per Diluvianam cladem explicari poſſit, an verò non, quæritur? Lis à Phyſicis olim mota, nuper renovata & æſtu magno agitata fuit, ac dum quiſque globum more ſuo fabricaretur, alii hanc cauſam omiſerunt, alii illam ut unicam habuerunt, alii denique inter utroſque medium tenentes, partim ad Diluvium, partim ad alias cauſas confugerunt. *et ii omnes, levem conjecturis locum dederunt.* Tria ſyſtemata de his phænomenis.

X L I X.

Inter eos qui Diluvio diſturbatam Terræ ſuperficiem, ordinata ſuperioris cruſtæ ſedimenta & allata quæ diximus ſpolia contendunt primas tenent Burnetus (a) & Woodwardus. Uterque Abyſſum Terris ſubeſſe contendit, ſed prior putat cruſtam quæ eam tegebat in multis locis ruptam ac depreſſam eſſe, & aquas ruderibus compreſſas reſiluiſſe, adeò ut ex levigatâ & planâ, ut fuit ante cladem, ſcabra & hiatibus 1°. Qui omnia per Diluvium explicant.

(a) Tellur. Theor. Sacr. C. VII. pag. 58. Univerſalem hanc propoſitionem ponit. » Hodierna Telluris forma & phænomena, Theoriæ noſtræ de diſſolutione » veteris mundi inductoque Diluvio eo modo quo deſcripſimus exactè reſpon» dent neque aliter explicari poſſunt. « In toto tamen libro ad apparentem Terreſtrium diſpoſitionem Th. XLV. deſcriptam fere unicè ſpectaſſe videtur. Woodwardus tria Phænomena adeòque totum ſyſtema naturæ complectitur.

§ Duobus corporibus se invicem prementibus tenuius ac debilius, crassiori ac duriori cedere debet, ejusque formam recipere. Contrarium absurdum esset. Ergo cum lapides, neque piscium, neque animalium partes in sui superficiem recipere debuissent, è contra eas perforare,

plena evaſerit. Alter imbrium violentiâ, tumultu tunc vigente, aquarum ex Abyſſo erumpentium vi, diſſolutam credit totam cruſtam eodem propè modo quo ſaccharum aquâ ſolvitur, adeò ut omnes ſolidæ Telluris partes confuſæ aquis innataverint quamdiù duravit Diluvium, tum ubi ſubſederunt aquæ omnia corpora per ſedimenta ſeſe compoſuerint. Admiſsâ hâc diſſolutione facilè intelligitur quare Globi ſuperficies rugoſa ſit & inæqualis; in Oceano lutoſo, ex variis cauſis, in quibuſdam locis plus materiæ aggregari potuit, in aliis minus, & illæ materiæ cadendo inordinatè componi debuerunt. Feliciter etiam ità explicatur ſtratorum formatio & diſpoſitio, & imprimis Foſſilium figuratorum inſertio in magnâ profunditate & in mediis ſtratis lapideis in quæ aliâ ratione penetrare non potuiſſent. Verùm hæ hypotheſes primâ fronte ingenioſæ, ſi attentiùs conſiderentur ſuſpectæ, & ubi ad examen ſanioris Phyſices revocabuntur earum principia, falſæ deprehendentur. Vid. Th. XIV. XVI & LXIII. LXIV. LXVI. LXVII. LXVIII.

L.

Refutantur. In univerſum, ut rectè philoſophemur, fatemur eos qui cenſent Tellurem intùs & extùs, ut ſe nunc habet, compoſitam fuiſſe ſolo Diluvio piè magis quàm ſolidè argumentari, nam

1°. Ex iis quæ narrantur de ante-diluvianâ Terrâ conjicere pronum eſt eam à præſenti non tam abſimilem fuiſſe ac multi volunt; fluviis irrigabatur Gen. II. 10-14. adeòque montes habebat, quod etiam probatur VIII. ℣. 4. Tempeſtatum quoque vices experiebatur ut innuitur VIII. 22. Ergo cladi præextiterunt pleraque quæ per eam explicantur.

2°. Effectus causâ majores eſſe nequeunt. At cauſæ Diluvii à Moſe memoratæ, ſi ſanè intelligantur, tantis effectibus producendis impares ſunt. *cave ne dicas. Quæ enim fides deinceps autori Divino.*

3°. Hæc aſſertio ſingulis Phænomenis Theoriæ Telluris applicanda in ſpecie vera eſt de Foſſilibus figuratis ſi conſiderentur 1° eorum copia. Celeb[i]. Scheuchzerus & Bertrand de Helveticis montibus teſtantur hæc corpora eâ frequentiâ & numero in iis reperiri quæ fidem om-§nem ſuperant & D. De Reaumur narrat apud Turones dari talem acervum qui ad minimum 1306800 hexap-cubicas i. e. latæ Provinciæ §ſpatium occupat. Quæ vis heterogeneas moles tam immenſas invexiſſet? 2°. Altitudo locorum è quibus effoſſa ſunt. Nedum ſuperficiei proxima ſint, in fodinis mille pedes profundis jacent ut in montium ca-

cumi-

§ Ergo-ne mentiti sunt?

§ an igitur ex profundo mari Conchæ illæ, vi aquarum elevatæ sunt ad tantum altitudinem, sparsæque ad tantam distantiam! absur.

cuminibus. 3°. natura ſtratorum in quibus incarcerantur. Arenæ molli non ſemper incumbunt; integræ rupes eis conſtant & in medio marmore includuntur, ſeu ſeparata, ſeu illi adhærentia. 4°. Diſtantia regionum è quibus advenerunt. Arbores Indicæ in Galliâ, piſces Sinenſes aut Americani in Helvetiâ, Crocodilorum cadavera in Germaniâ, dentes Elephantum in Siberiâ effoſſa ſunt. 5° Diverſitas ſpecierum in quas dividuntur. Illæ vegetantium & animalium ſubterraneæ familiæ in claſſes, genera & ſpecies diverſiſſimas ac numeroſas haud minùs accuratè diſtinctæ ſunt quàm eæ quæ nunc viventes Sole colluſtrantur. Mixtæ autem ubivis unà jacent. (*a*)

L I.

His forsàn rationibus adducti multi inter recentiores de Diluvio ſilent in ſuis ſyſtematibus, alias cauſas in medium proferentes; nec tamen in eorum caſtra deſcendimus, quippe quòd longiùs æquo fingendi amore proceſſerint, & hypotheſes dederint magnis vitiis laborantes. Riſum movet quod quidam dicunt exuvias omnes tum marinas tum terreſtres à viatoribus allatas eſſe. Ex quo ſanior Philoſophia colitur, exulant formæ plaſticæ & Naturæ luſus quorum ope Scholaſtici earum formationem explicabant. Vix probabilior eſt eorum opinio qui putant ea qualia ſunt in peregrinis Telluris carceribus à Deo intruſa fuiſſe dum Terram crearet: Sanè quo fine id factum eſſet non videtur. Jam dudùm etiam exploſum eſt quod alii finxerunt mare per canales ſubterraneos cum variis Terræ ſtratis communicare, ideòque aſcendendo hæc conchylia intruſiſſe, ſeu ejus efferveſcentia, ſeu vaporum vis, ſeu tandem ipſa canalium attractio ad hæc ſuſtentanda ſuffecerint. Defectu cauſæ univerſalis quidam peculiares multas conjunxerunt & hæc phænomena attribuenda putarunt ſpecialibus alluvionibus magno numero in Hiſtoriâ memoratis, quæ ubi ceſſarunt ſui veſtigia in conchyliis reliquerunt; hominum laboribus quos montes explanaſſe aut erexiſſe, lacus excavaſſe, fluminibus alveos poſuiſſe, aut ea detorſiſſe conſtat; edaci rerum tempori quod vincta diſſolvit & diſſoluta vincit; Terræ tandem motibus & Vulcaniis quæ vicina quæque ſubvertunt. Sic quidem mutatam Terræ faciem agnoſcimus, ſed apparatam qualis eſt negamus,

2°. Hypotheſ eorum qui ad Diluvium no recurrunt, no admittuntur.

(*a*) Si hæc omnia per Diluvium allata & in Tellure incluſa ſint, quidni urbium ante-Diluvianarum rudera, vaſa & ſuppellectilia lapidea vel metallica omne genus cum Foſſilibus figuratis admixta reperiuntur? rectiſſime.

Ea opinio tanta non laborat absurditate, si ad multitudinem cavernarum, quæ ubicunque subter Terræ superficiem dantur attendas.

& qui tanta tam paucis moliuntur idem propè agere cenſemus quàm ſi Architecturæ maximæ domûs rationem quærenti ſatisfieret docendo quomodo pleraque cubicula intùs inſtructa fuiſſent.

L I I.

Maxima tandem habet incommoda ſuppoſitio (*a*) eorum qui volunt totum orbem ſub aquis à tempore Creationis latuiſſe, ſeu unà quaquaverſum contegeretur, aquis poſtea lentè ſecedentibus & eminente ſicco, ſeu maria ſucceſſivè regiones omnes alluerint. Recentior eſt mundus ut primum caſum admittamus. Etenim ſi mare à ſex mille annis duas tertias Globi partes deſeruerit cur à bis mille annis eadem prope remanſit terrarum & marium proportio? Si decreſcerent aquæ cauſæ conſtantis impulſu, non ceſſaviſſet illud decrementum aut ita inæquale fuiſſet. 2°. Moſes poſtquam deſcripſit Terræ Creationem eam continuò plantis inſtructam & habitatam narrat, nec ullum memorat temporis intervallum, quo durante ſub aquis ſtagnaverit.

Quod ſpectat ſucceſſivam Oceani moram in terris, non facilior conceptu & Phænomenων ſolutione felicior videtur. Hiſtoriæ *primò* repugnat, nam quamvis conſtet in aliquibus locis maria aliquantulùm receſſiſſe aut proceſſiſſe, nullibi ita conſtantes leguntur hæ mutationes ut aſſiduè verſus unam plagam ſemper perreptarint. Ab omni ævo eadem memoratur mundi partium diviſio, & iidem propè circumſcribuntur Continentium fines; Maſſilia, Alexandria, Tyrus, Smyrna, Gades, quæ antè bis mille annos portus erant etiamnum maribus adjacent. *Secundò* an lentus & uniformis eſt ille motus, an verò abruptè & per ſaltus agit? Si lentus ſit, non ſufficienter explicatur conchyliorum inſertionis prodigium; Si abruptus, quoties exercetur fit magna clades, imprimis cum in medias Continentes invehitur mare; ſed de tantis cladibus in Hiſtoriâ nec vola nec veſtigium. *Tertiò* cauſæ motus illius quæ finguntur non minùs Phyſicæ adverſantur. Inceſſus Polorum in ſuperficie Terræ quos neceſſariò conſequitur marium iter ab Aſtronomis demonſtratus eſt nullùs, aut ſaltemità parvus ut ad ſummum extremæ oræ Continentium eo inundatæ fuerint. Et quod alii voluerunt centrum gravitatis Telluris loco mutari, inſtabili nititur fundamento, ſc. globum intùs eſſe vacuum quod meritò controverti in Th. XIV. & XVI vidimus.

(*a*) Ejus parens eſt Ariſtoteles renovata fuit à Bernardo Paliſſy, & noviſſimis diebus retractata & diverſimodè juncta cum aliis à D. De Juſſieu, De Reaumur, De Mairan, Celſius, De Maillet, & De Buffon.

§ E Mediterraneo mari exempla trahi non debuiſſent, ſed ë Zor: :tibus Oceani.

L I I I.

3°. Eorum q partim per D luvium hæc partim aliund explicant.

Prudentiùs agunt qui cenſentes tanta & tam diverſa Telluris Phænomena per unicam cauſam explicanda non eſſe, & ſimul objectum ſibi mutationum fontem uberem, qualis eſt Diluvium temerè non negligentes, hæc Phænomena diſtinguunt in claſſes diverſas. Quæcunque ad Architecturam mundi fundamentalem pertinent, cavatos maribus alveos, montes excelſos, valles profundiſſimas, ſuperioris Terræ diviſionem in ſtrata adeòque conchyliorum phænomenon, referunt ad illud tempus quo Supremus Opifex elementa Planetæ noſtri diſponens, ea in præſentem formam conglobaret; minores verò mutationes quæ in ſuperficie tantum Telluris vel ei proximæ occurrunt, per accidentales cauſas explicant. Earum maximas Diluvio deberi cenſent, minimas verò cladibus ſpecialioribus, quales ſunt Terræ motus, inundationes, aut cauſis lentiùs agentibus ut fluminum decurſui, hominum laboribus &c.

L I V.

Concluſio.

Hâc diſtinctione admiſſâ, à Diluvio orta putamus 1° Sedimenta quædam arenæ ſatis profunda quæ in quibuſdam vallibus extant in quibus confuſa videntur conchylia cum heterogeneis multis corporibus: Tellus enim adæquari debuit aquis tamdiù ſtagnantibus, & profunda vallium à torrentibus compleri. 2°. Cavitates & lacus quoſdam, diſſolutis fornicibus qui ſpatia ſubtùs vacua obtegebant. 3°. Imprimis *(a)* exuvias terreſtres è vegetantium & animantium regno quas à marinis diſtinguimus quod multò minori copiâ occurrant & ſuperficiei ſint propiores: Earum depoſitio ubivis Terrarum & in locis à nativâ ſede alienis optimè exponitur per aquas exundando obvia quæque abradentes & ſubſidendo abraſa corpora cum arenis mixta linquentes, nec ſufficienter per alias hypotheſes explicatur. Hæc ergo ſunt quæ Diluvii monumenta & *numiſmata* dicimus. *(b)*

L V.

Ne tamen audaciùs pronunciaſſe videamur quàm cognitionum noſtrarum modulus & res ipſa ſinunt, de hujus poſtremi argumenti pondere monemus illud in ſe abſtractè conſiderandum non eſſe, quaſi ſo-

---

(a) De earum parte maximâ hic tantum agitur; novimus enim in imis Terræ viſceribus effoſſas eſſe arbores & oſſa quæ Diluviana clades hûc intrudere non valuit. *(b)* Hos effectus Diluvio attribuimus ſepoſitâ cauſæ conſideratione. Eâ in Parte 3â; per hypotheſim indicatâ, alii notabiliores his addentur.

lum ſufficeret demonſtrandæ veritati facti, ſed conjunctim cum teſtimoniis eſſe penſitandum. In genere probabilitatem gignit non certitudinem: Hæc probabilitas, ſi ſeorſim à priore argumento ſpectetur minima eſt: Quantumvis enim ratiocinando Phænomena in claſſes partiamur idoneas unicuique cauſas aſſignando, ſuprà conceptus noſtros viribus dives Natura ſyſtemata & calculos eludere potuit; ſi verò traditionibus adjungatur maxima eſt. Aliundè enim probatâ Diluvii veritate, inſignes ab eo factas mutationes repente ſequitur. Jam verò obviæ ſunt illæ quas enumeravimus. Quidquid ſit inconcuſſa manet rei veritas. Binâ probatione copulatâ Lunare ſi velis lumen Solis fulgori additur, ita ſtringens ac prægnans erat quod primò vindicavimus hiſtoricum argumentum. Hâc duplici luce tenebræ diſpelluntur, ſplendidè coruſcat Moſis veracitas, & citiùs evaneſcunt Incredulorum dubia quàm Aurorâ veniente ſpectra noctis inania & umbræ leves.

ac

PARS TERTIA

Phyſica.

L V I.

STupendi quod hactenus expoſuimus & vindicavimus phænomeni cui alterum quod æquiparari queat nullum datur, cauſas Naturales, ſi quæ ſint inquirere pronum omninò eſt, neque ſuâ caret utilitate Phyſica hæc indagatio. Idoneâ hypotheſi repertâ, retunduntur hominum ineptè philoſophantium pleræque cavillationes, & faciliùs conceptâ cladis ratione facti fides non parùm confirmatur. Non defuerunt Philoſophorum hâc de re ſyſtemata, quin potiùs luxuriarunt. Præcipua ad libram Critices utriuſque, Hiſtoricæ & Phyſicæ, ſtrictim revocare & nos in hâc etiam palæſtrâ aliquantulum exercere liceat, prævîis tamen generalibus nonnullis de hâc diſquiſitione obſervatis.

L V I I.

Ante omnia ſtet Deum rei per miraculum auctorem fuiſſe. Quamvis enim Moſes Supremum Naturæ Conditorem in toto hoc eventu agentem ita disertè non induxiſſet & quaſi manu monſtraſſet, Phænomenon naturâ ſuâ ita inſolitum erat & pœna adeò opportuna fuit in

univerſâ generis humani depravatione, ut miraculum ſponte ſuâ hîc ſe offerat. An hoc ita concipiendum ſit, quaſi Deus initio eventuum ſeriem juxta Naturæ Leges præordinando, illum ut ut aliis diſparem cauſarum naturalium ſingulari concurſu procedere juſſerit & univerſo ſyſtemati legitimè concatenaverit, non inquirimus. Sufficit ut Providi Numinis interventu ſpeciali id totum contigiſſe conſtet.

L V I I I.

Ut ſingulorum rationem redderent multi prodigia ſine fine ſuppoſuerunt, ſeu quòd Phyſicas explicationes quærere impium aut difficilius haberent, ſeu quia hûc deducti fuerant malè conceptis hypotheſibus; Is maximè Philoſophicè ſe gereret qui excogitatâ hypotheſi S[æ]. S[æ]. & rationi congruâ omnia per leges Phyſicas facta demonſtraret, adeò ut miraculum in hoc tantùm conſiſteret quod hæc Divinæ voluntatis inſtrumenta eo præcisè tempore egiſſent quo homines erant plectendi. Id à nemine adhuc factum, neſcio an unquàm fieri poſſit. Interim eò meliùs in hoc negotio rationi ſatisfit, quò ad hunc finem propiùs acceditur.

L I X.

Hîc cautè admodum & modeſtè procedendum eſt, & Duces adhibendæ ſunt Moſaïca facti narratio & Phyſicæ veritates ritè demonſtratæ, potiùs quàm æſtuantis imaginationis deliria. Non altiore igitur loco habemus eos qui neglectâ facti circumſtantiarum ſyntheſi, & in baſi nullâ mobile ædificium exſtruentes, fabulas Philoſophicas pro veris ſyſtematibus dedere, quàm eos qui ſyſtemata nulla excogitari voluerunt.

L. X.

Rei modus ab ipsâ re ſedulò diſtinguendus eſt. Diluvium contigiſſe extrà controverſiam poſuimus. Hoc ſtabile maneat licet in eo explicando deficeremus. Sanè peſſimè ratiocinaretur qui Phænomenon aliquod ideò negaret quod explicatu difficile eſſet. Quot enim certiſſima dantur quorum modus & cauſæ acutiſſima latent ingenia? Id judices vel ex ipſo Philoſophorum in pleriſque diſſenſu cùm veritas una ſit. An lucis exiſtentiam negabis, quòd Newtonus per effluvia, Eulerus per æthereas undas, illam tranſmiſſam dicant? An tonitru aëra concuti inficiaberis, quod hi per electricos, illi per ſulphureos ignes hoc genitum putent? Plura certè dantur in Phyſicis ænigmata quàm Phænomena ab omni parte patentia, ne dicam inter alias difficultates hanc propriam ineſſe inundationi noſtræ quod ſit ingens, unica, & cum aliis notis vix comparanda.

L X I.

Hypotheſes præcipuæ. Sicco pede præterimus obiter jam exploſas hypotheſes creationis aquarum ad tempus factæ, condenſationis Atmoſphæræ in aquam & rarefactionis aquæ ſufficientis ut intumeſcendo ſupra montes extolleretur. Earum prima nil explicat, & aliæ in ipſo principio ità apertè peccant ut à nemine ſano defendi poſſint. (Th. XXII.) Sæculorum, in quibus primùm prodiere, ignorantiam redolent. Renatâ Philoſophiâ, aliæ attentione digniores prolatæ ſunt. Tres præ cæteris illuſtres in medium ~~huc~~ adducemus.

L X I I.

I. Hypotheſis Burneti. Primæ Auctor eſt *Burnetus* (*a*); Vir ille in imaginando promptus & in ratiocinando nimis ſobrius, Telluris naſcentis, Diluvio mutatæ, intereuntis & redivivæ ſyſtema totum complectens credebat Globum noſtrum initio planum & continuum ubivis fuiſſe, in quo nulli ſuperbirent montes, fiſſuræ non occurrerent, & maria deeſſent. Sub primigenia ſuâ cruſtâ ſtagnare contendebat Abyſſum, in Terrâ primitùs incluſam quæ ad uſque diluvialem æram inconſpicua manſit. His poſitis, ad explicandam cladem noſtram, fingebat cruſtam æquabilem quam diximus, ſeu ſolis ardore exuſta in quibuſdam locis hiaſſet, ſeu Terræ motu convulſa ac diſlocata eſſet, in toto Orbis tractu diffractam fuiſſe & inæqualiter depreſſam, ita ut abyſſus comprimeretur, aut cadentium deſuper molium copiâ & magnitudine anguſtaretur. Huc accedebat quòd ſole per rimas rupti corticis intrante aquæ ejus ſuperficiei verſæ fuerant in vapores potentiſſimos. Quid tum? Abyſſus agitabunda & furens repentè proſiluit, deſertas à ſolidâ materiâ ſedes occupatura. Hinc facta univerſalis eluvio, & ubi deferveſcens aliquantùm ſubſedit aqua, inde natum vaſtum æquor pelagi, dum apices quidam in ſubverſione ſublimes relicti montes & inſulas effecerunt.

L X I I I.

Talia fingenti plaudant Poetæ; non aſſentietur Philoſophus. Nam I°. hîc eſt hypotheſis in hypotheſi. Undenam enim Paradiſiacam Telluris formam mutuatus eſt Auctor? An ex convenientiâ quâdam ne aſpera ſupponatur Tellus ideò quod recens erat? Futilis eſt ratio.^ An ex neceſſitate Creationis? Minimè probabilis eſt hæc concretio cruſtæ ſolidæ

(*a*) In libro cui titulus *Telluris Theoria Sacra*.

^ Quare?

ſolidæ quam factam dicit inter aquam & aërem primitùs ſeparatos, terrenis fæcibus aëris ſubſidentibus & oleis aquæ ſupernatantibus, quæ duo mixta poſtmodum cohæſerunt. Ut enim è multis unum adducam, hæc cruſta adeò craſſa eſt præ vi retinente aëris, ut ſupponendo ejus elementa cuncta in aëre olim pendula vagaſſe, tantundem delires ac ſi lapides ponderoſos & maſſas plumbi aurive aëri commiſſa ab eo ſuſtineri expectes. An tandem è Scripturâ? Nil ſimile innuit; contrà, montes, maria, & quadripartitam anni diviſionem ante Diluvium locum habuiſſe docet. Quin imò adverſus hanc formam innumeræ difficultates militant. Quantumvis deſudet Auctor ante-diluviana flumina non docebit in plano decurrere & quoniam ex Abyſſo hæc orta fuiſſe dicit, num probabit hanc ab eis exhauſtam longè ante Diluvianam æram non aruiſſe? (*a*)

L X I V.

2°. Non affert cauſas idoneas diſruptionis cruſtæ; Sol nullibi penitùs findit terras quas torret, nedum ſupponi poſſint fiſſuræ tot & tantæ ut cruſta diviſa ſubſideret, & quod ſpectat Terræ motus, non probabile eſt eos in toto Terrarum tractu uno momento conſpiraſſe ut Globum integrum ſubruerent. 3°. Si profunda Abyſſus cruſtæ ſubjacuerit quidni tota in hoc tumultu præceps deſcendit? Non ſic plicatilis eſt aut coadunatis elementis conſtat ut ſe ſuâ vi ſuſtineat. Quidni ſaltem iiſdem de cauſis ſpatio quinquaginta ſæculorum alicubi ſolutâ fornicis clave tota in barathrum conſidendo ruit? 4°. Non probabile eſt motum undulatorium Abyſſi agitatæ ſatis duraſſe ut aquæ per unum annum ſuſtinerentur. 5°. Quod palmarium & penitùs confodit hanc explicationem, ut liquet ex præcedentibus, in ejus modi exundatione tota Tellus ſubvertitur & regula nulla obſervatur.

L X V.

Woodvvardus (*b*) hoc ſyſtemate repudiato illud excogitavit quod *diſſolutionis* nomine venit, & exponere datum eſt in Th. XLIX. Illud ſyſtema licet Auctorem agnoſcat induſtrium Obſervatorem, & placuerit viris magni nominis, quòd conſequentiis dives totam Terræ Theoriam fundaret, in multis ita deficit, ut ei adhærere nullâ ratione vacamus. II. Hypotheſis Woodwardi.

(*a*) *Keilius* qui Burnetum refutavit probat quod poſito juxtà hanc hypotheſim flumina ex Abyſſo, ope fontium orta, in eam non rediiſſe, Abyſſus aquis vacuari debuit poſt 406. annos.

(*b*) Vide Eſſai ſur l'Hiſt. Nat. de la Terre.

L X V I.

Ex iis defectibus alios habet communes cum ſyſtemate Burneti, alii verò ipſi proprii ſunt.

Primi generis ſunt 1°. quòd uterque recurrat ad Abyſſum. 2°. quòd ad inundandam Tellurem eas vires ac ſubverſionem adhibeant quæ illi creandæ forsàn ſufficerent. 3°. Quod in aquarum agitatione Arcæ ſaluti nullatenùs proſpiciant: Centies ſubmergi debuit in Oceano turbulento qualem illum pingunt, ſed nihil indicat illam vel minimum periculum ſubiiſſe.

L X V I I.

Diſſolutio Woodwardi hoc inſuper vitio laborat quod diſſolutionum vulgarium phænomenis omninò repugnet. *Aqua*, inquit, *omnia diſſolvit*! Quodnam novum quæſo aquæ genus tantam vim habuit? Num Chemicâ virtute gaudebat? An verò tantùm propter agitationem partes ſolidorum à ſe invicem avellebat? Si dicat agitationem, bone Deus! qualem motum ciere debet ut lapides duriſſimos in arenulas ita comminuat. Præterea aqua mota non agit diſcretè per aculeos, ſed in maſſas integras ferè æqualiter ubivis impingit, ſuperficiem ſolam arrodens. Si verò Chemicam virtutem aquæ inditam putet, ita ut aquæ abyſſi in regalem aquam v. g. verſæ ſint, jam prodigioſam inducit metamorphoſim. At factum concedimus; quomodo ſit ut diſſolvens illud univerſale corpora quædam quaſi reveritum, inſoluta reliquerit conchylia, animalium & plantarum partes, omnigena vegetantium ſemina, ramum olivæ quem attulit columba, Arcam ipſam? Hæc ſi generis ejuſdem eſſent lege quâdam ſpeciali excepta fingi poſſent, ſed nonne multiplex eorum natura fluidi impotentiam arguit? Quidni imprimis in eo liqueſcunt caro, molliſſima ſemina, folia, potiùſquàm marmora cauteſque duriſſimi? His non video quid reſpondere queat niſi forsàn lapides aliaque ſolida Diluvii tempore nondum induruiſſe. Regeremus experientiâ conſtare lapides multos, præſertim propè flumina, intrà paucos annos, imò intrà ſpatium annuo brevius formari. (*a*)

(*a*) De Peireſco narrat Gaſſendus *illum cùm ſolitus eſſet ſe abluere in Rhodano deprehendiſſe aliquando fundum quod aliàs æquabile & molliuſculum obſervarat, induruiſſe in globulos moleculaſque, qualia ſunt ova cortice detracto, ubi coctiora fuerint. Id demiratus quoſdam collegit domumque detulit; ubi verò poſt paucos dies rediiſſet ad fluvium deprehendit moleculas induruiſſe planè in fluviatiles lapides, idemque etiam obſervavit contigiſſe iis quas ſervabat repoſitas domi.* Vid. vita Peireſc. à Gaſſendo.

L X V I I I.

An etiam conſideravit quanta ſit copia corporum quæ continet cruſta terreſtris, & an probabile ſit aquam tantâ vi fuiſſe præditam, ut hæc omnia pendula retineret, ea præſertim quæ inſoluta manſere; ſatis agitatam ut in materiarum diverſi generis miſcelâ illæ ſe ſe ſepararent quantùm ſufficiebat ad obſervandum in multis locis ordinem ſpecificæ gravitatis & conficienda ſedimenta homogenea, atque eam per plures menſes ad magnam altitudinem ſtagnaſſe quin noviſſimè formatos montes luteos deſcendendo raderet & planitiebus exæquaret? Profectò quod lutulentum Oceanum nominat merum erat lutum in quo piſces enecati eſſent & Arca potius illaqueari debuit quàm fluitare.

L X I X.

Ingenioſiùs adhuc, dicam-ne audaciùs tertius Anglus *Whiſton* (*a*) ex Abyſſo & cælis ſimul cladis cauſam accerſivit; nimirùm ſuppoſuit maximum quemdam Cometam dum in perihelio verſaretur tremendâ comitatum caudâ tempore Diluvii ad Terram Lunâ propiùs acceſſiſſe. (*b*) Hinc ſecuti ſunt in maribus æſtus ſolitis longè majores; imprimis Abyſſus in Terris incluſa validiſſimæ parens attractioni ad ellipticam tendebat formam cùm priùs eſſet ſphærica. Obſtabat cruſta terreſtris quominùs eam indueret. Frænorum impatiens Abyſſus illam rupit ubicunque cohæſio validior non aderat. Inde fiſſuræ & foramina (*fontes Abyſſi*) paſſim aperta ſunt. Quà data porta confeſtim proruperunt aquæ. Interea Tellus in caudâ Cometæ per binas horas immerſa manſit. Aſtrum currendo non potuit tantam ſequacis vaporis quantitatem retinere quin ejus magna pars ab aere noſtro viſcoſo irretiretur vel ab ipsâ Tellure attracta caderet. Ergo decidua cometici vaporis ingens columna deſcendendo in aquam converſa fuit & inundationem ac imbres quadraginta dierum peperit. III. Hypotheſis Whiſtoni.

L X X

(*a*) Whiſtonus hoc ſyſtema expoſuit in libro cui titulus. *Nouv. Théorie de la Terre*.

(*b*) Idem eſt Cometa de quo Plinius Lib. II. Cap. XXV. qui Typhone regnante Ægyptum vaſtavit; rediit anno 1680. ejus revolutio periodica eſt 575. annorum. Mirum eſt quod ille circulus ita perfectè quadret cum anno Diluvii. Inter eum & annum ær. vulg. 1680. interceſſerunt anni 4024. quod ſeptem præcisè revolutiones illius aſtri conficit. Nos quidem motos fatemur opportunâ adeo ſuppoſitione, ſed allata hypotheſεως vitia prævaluerunt.

L X X.

Hanc hypotheſim pedetentim perſequuti ſunt viri doctiſſimi, & oſtenderunt eam in multis ſibi diſſonam deprehendi, novis ſine fine ſuppoſitionibus, & prodigiis indigere quibus fulciatur & ne prorſus corruat impediatur, ac imprimis Moſaïcæ narrationi non accommodatam eſſe; nos tantùm vitia quædam generalia hic carpemus.

1°. Si fides Aſtronomis, is futurus eſſet Cometarum influxus, cùm ad Tellurem currendo ferrentur, ut vix ſupponi poſſit illum quem adhibet *Whiſtonus*, inundationem a Moſe deſcriptam præcisè cieviſſe quin effectus tetriores aut diverſos ediderit. Cruſta terreſtris ante Diluvium æquè craſſa fuit ac hodierna; unde enim augeri potuiſſet? Conſtabat etiam, ut nunc, ſolidis multis, rupibus, & omnigenis lapidibus quibus quaſi vinculis intertexta arctiſſimè colligabatur. Ne ergò ſupponantur fiſſuræ dehiſcentes ut in ovi cortice tenui, aut involucro luteo tantùm & arenoſo. Quæ ſi Cometæ attractione & Abyſſi preſſione apertæ ſint, mirum eſt ſanè quod plagæ inter hiatus interceptæ illæſæ manſerint: Quid ni tota cruſta diſlocata in auras diſſiluit? Certè poſitâ Abyſſi compreſſione quâ tendebat ad formam ellipticam faciliùs multò concipio quo pacto obſtantes terras omninò ſublevatas furens disjeciſſet, quàm quomodo vias ignobiles affectavit per anguſtas rimas abſque vicinarum molium ruinâ terebratas. (*a*) Væ imprimis Arcæ in ejus modi attractione.

2°. Gratuitò ſupponit Whiſtonus vapores caudæ & Atmoſphæræ ſui Cometæ aqueos eſſe ut in eis imbrium theſauros ponat. (*b*)

3°. Ab hoc Cometâ incendium oriri debuit potiùſquam inundatio. (*c*) Id judices ex calore quem juxtà Newtonum (*d*) imbibit a° 1680. cùm

(*a*) Abyſſus juxta Whiſtonum tantâ attractione premebatur ut elongari debuerit versùs Cometam leucis 2 ½.

(*b*) Hos vapores alii igneos eſſe volunt, alii ſulphureos & valdè maleficos; plerique illos tam ſubtiles dicunt ut ex eorum lapſu vix herba, ceu rore, maduerit.

(*c*) Cùm idem ille ſit qui anno 1680. viſus eſt, & ante tres revolutiones paulò poſt Cæſaris necem arſit, ex ipſius magnitudine inferatur eum ad Planetam noſtrum temere arceſſendum non fuiſſe. Plutarchus eum vocat *Magnum Cometam* Vit. Cæſ. Virgilius *dirum* Georg. I. 488. Terrificus imprimis erat in poſtremâ epochâ: nucleus latus ſplendidè fulgebat, & cauda per dimidiam fere Cæli partem protendebatur. (*d*) Phil. Nat. Princ. Math. L. III. Prop. XLI.

cùm in Solis viciniâ tranſiit. Ferri candentis ardorem bis-milleſies ſuperabat, nec niſi poſt annorum myriades multas refrigerabitur. Hinc ♯ aſſerit D[us]. De Maupertuis (*a*) quod ſi Telluri propior tranſiiſſet, in cineres aut vitrum illam mutaſſet; ſi modò nos attigiſſet ejus cauda igneo torrente inundati periiſſemus. An formidandi hujuſce caloris in aliis revolutionibus expers dicendus eſt? Sanè non valdè probabile videtur eum ab Orbitâ adeò deturbatum eſſe ut viam mutando ita ad Solem acceſſerit. *Recte*

4°. Dato non conceſſo Cometæ vapores aqueos in Tellurem idoneâ ratione infuſos eſſe, quid de illis fiet poſt diluvium? An in Atmoſphærâ locabuntur? Tantam vaporum copiam ſuſtinere nequit. An in marium receptaculis? Aquæ Abyſſi ea jam complerunt. An tandem in Abyſſo ſubterraneâ? Subſidente cruſtâ per tumultum, multò minùs capax quàm priùs evaſit, & ſuarum aquarum reliquiis plena eſt.

L X X I.

Hæ ſunt hypotheſes præcipuæ quas ſyſtematum ferax Anglia protulit; verùm quid opus eſt fictitias aquas adeò ſollicitè quærere, ac Cælos & Acheronta apparatu tanto movere? Nonne invehi poſſunt aquæ Oceani quæ præſto adſunt & quas noſcimus, & eâ ratione adduci ut ab unâ parte ſufficientem afferant perniciem, & ab alterâ Tellurem non ultrà miſceant ac perturbent quàm vult ipſe Moſes, & exigit Globi ipſius, Seminum & Arcæ ſalus. Profectò è principiis hactenus poſitis apertiſſimè ſequitur Oceanum inundationis fontem uberrimum fuiſſe, & aquas uniformiter ac placidè ſatis motas eſſe. Hæc pro demonſtratis habentes nihil jam agendum habemus, niſi ut idoneam inſoliti illius incurſûs cauſam aſſignemus & Diluvium per eam explicemus.

L X X I I.

Requiſitis hiſce conditionibus ſatisfieri ducimus, ſi ſupponatur tempore Diluvii *retardatam eſſe vertiginem Telluris circa ſuum axim*, & hæc eſt noſtra hypotheſis quæ utinam probabili phænomenorum explicatione magis adhuc quam novitate placeat! Illam in principiis fundare, exponere, & vindicare operæ pretium eſt. IV. Hypotheſis noſtra.

LXXIII.

(*a*) Maupertuis, Lettre ſur la Comete T. III. p. 239.

♯ Refrigerari non potest in myriadibus annorum, cum unoquoque 570 anno ad solem æqualiter accedit. Imo post duas vel tres apparitiones prope solem totus consumi debuisset.

L X X I I I.

Notum eſt Tellurem duobus potiſſimùm motibus agitari, uno quo progreditur qui *annuus* audit, altero quo circa axem gyratur, cui *diurni* nomen eſt. Ad Telluris formam & ſitum ejus partium inter ſe nil confert prior. At poſterioris effectu, hæc è Sphærâ abiit in Sphæroidem ſub Polis complanatam & ſub Æquatore elatam. Patet ex menſuris à duplici Doctorum cohorte ſub Æquatore & versùs Polos in ipſo ſolo ante 30 annos ſumptis, diametrum Æquatoris $\frac{1}{230}^{\text{a}}$ parte i. e. circiter 12 leucis eſſe longiorem axe, quam differentiam à priori argumentans jam ſtatuerat Newtonus. Hæc definita Telluris forma, quantumvis mira videatur, perſtat quamdiù durat ejus cauſa. Littora enim, unà cum mari, intra Tropicos magis elata ſunt, & aquæ licet veluti pendeant, non defluunt.

L X X I V.

Verùm pone ſubitò minui vertiginem & motum diurnum retardari. Vis centripeta ſeu Gravitas jam fortiùs agit; In contrarium quippe nitebatur vis centrifuga, retrahens quod Gravitas attrahebat; unde centrifugâ vi decreſcente, tantùm creſcit centripeta: Deprimuntur ergo corpora quæ prior à centro removebat, quod in totâ Tellure peragitur, & quidem juxtà Geometricam rationem, pro quantitate quâ unumquodque corpus, ſub climate ſuo, à centro retrahitur, nec non pro factâ centrifugæ vis imminutione. Cæterùm hæc vis ſub Æquatore vim gravitatis imminuens $\frac{1}{289}^{\text{a}}$ ejus parte uniformiter decreſcit eundo ad Polos ſub quibus prorſus evaneſcit.

L X X V.

Quod ut pateat, caſum omnium ſimpliciſſimum pono, agi nempe de Sphæroide prorſus aqueâ in quâ vis centrifuga ſubitò tota tollatur. Quid fiet? Sublatâ causâ quæ aquas ſub ejus Æquatore tollebat, illæ vi gravitatis deſcendent; quæ vis cùm ſola remaneat, ad æquilibrium ſeſe component & Sphærois in Sphæram convertetur.

Si vis centrifuga ex parte tantum tollatur, erit quoque aquarum quædam depreſſio ſed minor, nec in Sphæram perfectam mutabitur Globi forma, ſed ſphærois ad ſphæricitatem eò plus minus ve accedet quò plus vel minus remittetur vertigo. Hi gradus facilè concipiuntur, & definito calculo ſubmittunt Geometræ varias curvas quas affectaret ille Globus variante vertigine.

Non difficilius eſt intelligere idem propè eventurum licet non ſu-

bitò retardaretur motus ille at tantum lentè & continuò, non tamen planè uniformiter ſed fortiùs identidem.

Tandem quamvis tali maſſæ aqueæ reſtitueres ſuas terras, prædicta nihilò-ſeciùs acciderent, quantùmvis turbata obicibus quos Terræ cohærentes nec ita facile motui cuilibet parentes, uniformi aquarum progreſſui afferrent.

L X X V I.

His admiſſis in illius Sphæræ locum jam ſufficias Tellurem ſuâ terrarum compage & interfuſo Oceano, ut erat ante Diluvium, inſtructam. Causâ quam diximus agente tempore Cataclyſmi ſub Torridâ Zonâ preſſa eſt. Propter ſoliditatem ſuam terræ ſubitò non ſubſederunt ad novam libellam, ex quâ Globus neceſſariam formam indueret. At fluidus Oceanus facilè & celeriter deſcendit. Hoc deſcenſu preſſæ aquarum vicinæ moles, ut fit in undis, ad Zonas Temperatas & deinde ad Polares æquilibrii causâ inuſitato motu ſeſe contulerunt, & quidem eò longiùs proceſſerunt, eò altiùs in proceſſu exſurrexerunt, eò diutiùs ſteterunt quò major, diuturnior & frequentius iterata fuit dicta retardatio. (*a*) Hunc aquarum progreſſum eò intendit Moſes ut aqua ſuprà montes Armeniæ deflueret. Talem igitur & tantam ſupponimus retardationem quæ Oceanum huc-uſque delatum ad eam altitudinem evexerit. Si dixerit aliquis hanc ſuppoſitionem impoſſibilem eſſe, & dubitet tantum maris incurſum fieri poſſe, etiamſi Telluris vertigo maximam partem imò in totum demeretur, ſolutionem petam ex allatâ (Th. LXXIII.) Axium differentiâ, & in univerſum reſpondebo quod cum maria ſub Æquatore duodecim leucis ſupereminеant, profectò ſatis deprimi poſſunt ut ſeſe effundendo Armeniam inundent ad altitudinem duodecies & forſan octodecies minorem duodecim leucis.

Cæterùm retardationis quantitatem & modum præcisè definire res eſſet altioris & longioris indaginis quàm capiunt operis hujuſce natura & chartæ anguſtia. (*b*)

(*a*) Non obliviſcendum eſt Torridæ Zonæ partem maximam imprimis infrà Aſiam maribus conſtare. Ergo in Oceano Indico immediatè ſeſe exeruit maxima preſſio quam cauſa noſtra pepererit. Is cum liberrimè moveretur jam velox & vehemens erat cum ingruit in Terras ideoque totius oræ Auſtralis Aſiæ littora ſuperavit.

(*b*) Si tamen quæratur ut aliquid conjectemus, credimus ſatis eſſe ſi ſupponatur in aquarum altitudine maximâ i. e. in momento maximæ retardationis dimidiam partem diurni motûs cohibitam fuiſſe ita ut τὸ νυχθήμερον tum fuerit horarum 48.

LXXVII.

Cùm hæc Diluvifica preſſio in utroque Hemiſphærio exerceretur, habemus fluctus circulares duos qui Tellurem cingentes eam verrunt, marinas exuvias quaſdam ſecum trahunt, corpora Telluri ſuperpoſita abradunt, & dum Legi Naturæ parent ſcelerum vindices fiunt; nam præ celeritate nuntio quolibet velociores, & profugos facilè attingentes, improviſos homines occupant, & quidquid vivens ipſis obvium eſt enecant. Dum ſucceſſivam creant inundationem, univerſalem eam quantùm cupies facient: At quoniam Glaciales Zonæ magnam partem terris careant & probabile ſit ante-diluvianos homines huc uſque non proceſſiſſe, nil impedit quominùs ſupponatur hos fluctus à montium catenis cohibitos non multùm deſuper defluxiſſe, poſteàquam hominum habitacula vaſtaverant.

LXXVIII.

En ergo Oceanum immaniter exundantem qui primus erat & ditiſſimus Cataclyſmi fons à nobis poſitus. Quomodo eâdem causâ explicetur ſecundus, nempe fontium ſcaturigo ſolito vehementior, & eructatio aquarum quas in Telluris cavitatibus quibuſdam contineri conſtat, facilè concipitur. Aderat enim agitatio quædam, & preſſo Oceano aquæ cum eo communicantes ipſæ premi & ſursùm effundi debuerunt.

LXXIX.

Fons aquarum tertius, pluviæ ſc. ingentes, ex eâdem hypotheſi optimè deducuntur. Obſervarunt enim Phyſici evaporationem, imbrium cauſam, creſcere in quatuor hiſce caſibus, cùm ſuperficies aquæ latior aëri ſolventi ſubjacet, quando calor major eſt, ubi Atmoſphæram miſcent venti, & ſi nubes aëreo tumultu elidantur. Per ſe patet quod primùm attuli. Quod verò calor juxta hypotheſim noſtram Diluvii tempore creverit, id ſequitur ex morâ Solis majore ſupra horizontem, quam diurni motûs retardatio ſupponit. Maximum ventum neceſſariò cieverunt fluctus noſtri dum ſuperpoſitum aëra ſecum abſtulere. Denique ſponte ſeſe offert tumultus quem in aëre excitare debuit ſubitus occurſus novi illius venti cum aliis omnigenis qui Terram in nimbosâ tempeſtate quaquaverſum perflare ſolent (*a*).

(*a*) De his pluviis obiter obſervo perperàm exigi ut in toto Terrarum tractu ceciderint & eâdem violentiâ fuſæ fuerint. Tantùm aquæ vix ſuſtinere potuiſſet Atmoſphæra. Veroſimilius eſt nubes imbribus gravidas à ventis luctantibus in quædam loca congeſtas eſſe & quaſi coacervatas, dum aliæ plagæ ex duabus cæteris cauſis tantùmmodò inundarentur.

LXXX.

Jam obſervavimus Arcam ex Auſtro ad Boream placidè delatam eſſe. Hæc circumſtantia quam aliæ hypotheſes nullo modo explicant, cui potiùs apertè contradicunt, è noſtrâ manifeſtò fluit, ſi Borealis fluctûs & venti quem ciebat directio conſideretur. Ea etiam exponit alium ventum illi contrarium quem Deus C. VIII. 1. immiſiſſe dicitur ad fugandas aquas. Quippe Oceanus recedendo ſecum etiam traxit viſcoſum aëra. Tales ventos propè magna flumina & ad oſtia plerorumque fluviorum eodem modo excitari notum eſt.

LXXXI.

Igitur Moſaïcæ narrationi ſeſe accommodat illa ſuppoſitio. Ulteriùs jam progredimur, & hodiernæ Telluris ſtatûs Phænomena quædam per eam explicare tentamus.

Et *primò* quidem cùm in omni diluviano ſyſtemate ſolemne ſit montium originem complecti; ſi aqua vehementiùs exundans terrarum & ſolidorum omnis generis aſportatione ad eas moles aliquid contulerit, quæro an ulla ſimplex exundatio excogitari poſſit ad hunc effectum producendum aptior noſtrâ. Æquatori (ubi ſc. vis fluctuum erat maxima) vicini ſunt altiſſimi montes cùm in Zonis Glacialibus non niſi tumuli humiles occurrant. In veteri Continente in quâ fluctûs ex Auſtro ad Boream delatus Æquatori parallelus erat, maxima montium catena eſt etiam Æquatori parallela; cùm in novâ in quam fluctus non niſi lateraliter infundi poterant, montes ex Auſtro ad Boream decurrant. (*a*) Multùm tamen abeſt quin montes ita penitùs formatos putemus. Terras prope eorum radices ſic congeſtas tantùm dicimus. Hinc latiſſima horum baſis & molle clivum juxtà quod deſcendunt (*b*). Quin potiùs cacumina ab aquis diluentibus decorticata ſunt & aperti fuere fluctibus velociter interfluentibus multi ex his angulis quibus interrumpitur montium ſeries.

LXXXII.

2°. Mutationes inſigniores prope littora, in Zonâ præſertim Torridâ, factæ ſunt. Hæc ubi deſeruit Oceanus qui antea illa cingebat &

(*a*) Hiſt. Nat. De Buffon. Théor. de la Terre T. I.

(*b*) Hic lenis magnorum montium deſcenſus potiſſimùm obſervatur in hâc parte Andium quæ Peruviam tegit. In eâ declivitate, ſita eſt Provincia Quito. Nec quoque ſine voluptate videtur in illâ Alpium facie quæ Italiam ſpectat. non tam lenis est declivitas Alpium à monte Cenisio ad Novalezam, in Sabaudia, in multis praeruptus est valde, unde laterales sunt viae, quas vocamus in Zig Zag.

& pondere ſuo muniebat, prærupta in multis locis reſtarunt. Inde ſeu ipsâ mole labilia evaſiſſent, ſeu ſuccuſſu quodam & preſſione confracta corruerent, ſeſe præcipitarunt, ut inſulas, ſcopulos & ſalebroſum fundum conficerent. Sic natas crediderim multiplices illas inſulas quæ prope magna maria occurrunt & potiſſimùm in Oceano Indico videntur Aſiæ Continenti quaſi contiguæ, ita ut eas ad ipſam pertinuiſſe penè conſtet. Et ſanè hæc inſularum agmina, vel in ipſis Iconibus, intuenti, ruinoſa lacerorum littorum congeries non minùs evidenter offertur quàm Burneto (*a*) in Alpinâ rupe ſpeculabundo diffractæ cruſtæ imago in ſcopulorum inſano apparatu præbebatur.

Idem etiam factum autumarem in magnis fluminibus è quorum alveo innumeræ prominent inſulæ. Quid ſi eâdem causâ collapſam dicamus celebrem Atlantis inſulam de quâ Plato, & Siciliam ab Italiâ, Africam ab Hiſpaniâ, Galliam ab Angliâ disjunctas addamus? Profectò, ſi fides Hiſtoricis, hæc omnia antiquitùs impetu maris evenerunt. Quidni pauca mutando, hæc cuncta vehementi quem pinximus ejus incurſu contigiſſe diceremus? De Siciliæ ſeparatione ab Italiâ Virgilium audiamus.

Hæc loca vi quondam & magnâ convulſa ruinâ
Diſſiluiſſe ferunt, cùm protinus utraque Tellus
Una foret, venit medio vi pontus, & undis
Heſperium Siculo latus abſcidit, arvaque & urbes
Littore diductas anguſto interluit æſtu. Æn. L. III. w. 414.

LXXXIII.

3°. Hæc egerant eundo fluctus. Quid jam redeundo in Tellure mutaverint videamus. Ut per Aſiam exordiar, dùm Indicus Oceanus in alveum paulatim reflueret, ea ejus pars, quæ ultrà Taurum effluxerat, non potuit jam tali aggere oppoſito regredi tota, ſed ejus pars aliqua in locis humilioribus ſtagnans effecit in quibuſdam locis paludes ingentes quæ ſolo inhæſiſſe videntur ab æterno; in aliis, lacus quales Tartaria & Ruſſia plures habent, inter quos nobilior Caſpium mare; in cæteris denique maria ut Euxinum quod labentibus tantùm ſæculis Mediterraneo mari adjunctum videtur, dum per Bythiniæ montes viam perrumpens Archipelagum inſulis conſitum inter eundum formavit. Quin & ipſum mare Mediterraneum naſci debuit ex impoſſibili refluxu

(*a*) Lib. I. Cap. 9. p. 89.

aquarum in hoc humili loco intrà montes reſiduarum. Idem dictum ſit de frequentibus hiſce ſinubus qui in Oceano Indico dantur, putà Erythræo mari, Perſico ſinu, quos tamen per freta difficili labore cavata Oceano junxit ætas. Sic etiam naſci potuerunt, ad Boream, Balticum mare, & in Americâ, ingentes hi ſinus qui in terras incurrunt dum inſularum corona in ponto proximè prominens littora hic extitiſſe docet: Quod eò probabilius eſt quòd hi ſinus lateraliter diſponuntur, dum in Indico mari ex Auſtro ad Boream diriguntur.

L X X X I V.

En igitur unicâ diurni motûs retardatione univerſa fit inundatio, interna ſtagnant maria, procumbunt inſulæ, montes hodiernam ſpeciem induunt. Jam mihi videor audire qui quærant an lege Phyſicâ ita cohibita ſit illa vertigo, an immediato Dei nutu & omnipotentiâ res evenerit? His reſpondeo rem vix ac ne vix quidem definiri poſſe. Id tantùm conſtat ex Aſtronomorum obſervationibus (*a*) motûs illius quantitatem non ita determinatam eſſe, ut νυχθήμερον nunquam longius eſſe poſſit vel ſit, 24. horis. Atmoſphæra in procelloſâ tempeſtate ita agitari poteſt ut retrogrado motu ad occaſum feratur dum Globus versùs ortum volvitur, in quo caſu frictione retardaretur Tellus. Aliæ forsàn ſimiles adſunt cauſæ quas nondum noſcimus, vel accuratè determinare valemus. Quidquid ſit, quamvis hic hærentes ad primariam cauſam immediatè confugeremus, non ideò vileſceret hæc hypotheſis. Multùm enim jam profeciſſemus qui facti circumſtantias complures ſub uno intuitu adunatas ad unicum effectum redegiſſemus.

L X X X V.

Hæc eſt compendiosè explicatio noſtra. Si jam quæratur ut eâ propoſitâ directa in ejus gratiam afferantur argumenta, proferemus 1°. ipſam ejus convenientiam cum facto quod explicandum ſuſcepimus; Phænomenorum enim ſolutio felix maximum eſt veræ hypotheſεως criterium. 2°. Magnâ ſimplicitate ſeſe commendat; nulla creatio nova inducitur, ne quidem novus motus Naturæ inditur. Contrà levis retardatio motûs anteà jam exiſtentis unicum eſt operis tanti inſtrumentum. 3°. Eâdem Gentium traditione quæ Diluvii memoriam ſervaverat hanc cladem ab Oceano adveniſſe ferebatur. (Vid. de Syriis & Indis. Th. XXXII. &

(*a*) Aſtronomie de la Lande, Liv. IV. N°. 645.

XXXV. Hoc circa quoque Senecam audire volupe eſt. *Quæſt. Nat.* L. III. c. 27. Sed aliis argumentis miſſis, ex ipſo Moſe ejus probationem aliquam eruamus. (*a*)

L X X X V I.

In ſolemni fœdere quod Deus lapſo Diluvio cum Noacho ſoſpite iniit notandum eſt hoc promiſſum VIII. 22. *Quamdiu erit Terra -- dies & nox non ceſſabunt.* Quâ de causâ Deus hæc verba protulit? An ſine prævià diei & noctis conturbatione? Inutile ſanè fuiſſet Noachum præmunire contrà metum quem periculum jàm paſſum ipſi non incuſſiſſet. An verò, ut vult Clericus, alludit ad tenebras quas Noachus in Arcâ per unum annum concluſus ſenſerat, tantas ut diei & noctis vix aliqua fieret diſtinctio? ℞. Arca feneſtris diem admittebat & aliter nun-

---

(*a*) Dum hanc hypotheſim animo volveremus, alia Pariſiis prodiit ei primâ fronte analoga quòd à Virium Centralium Theoriâ deducatur, attamen ab eâ toto cælo differens, cùm explicet Diluvium non per retardationem, ſed per accelerationem motûs diurni. Ejus auctor eſt Abbas *Le Brun*; ſupponit tempore Diluvii auctam fuiſſe vim centrifugam, ideòque aquas Abyſſi magnæ velociter aſcendendo è ſuis receptaculis migraſſe in ſupernam Tellurem contrà gravitatem. Nec ſatis habuit ore tenus finxiſſe. Ut hunc inundandi Globi modum oculis quaſi ſubjiceret, machinam excogitavit cujus ope Diluvium hâc causâ allatum ſpectantibus in Luparâ exhibuit. Terreſtrem Globum ſolidis intùs vacuum, aquâ plenum, conſitum foraminibus quæ claudebant valvulæ mobiles (des ſoupapes) incluſit in vitreo globo cujus diameter major erat, eâ ratione ut ambæ ſphæræ centrum idem haberent. Quibus ita paratis & vitro accuratè clauſo, Globum Terreſtrem internum modicè rotare cæpit. Nondum proſiluit aqua in eo contenta; ubi verò celeriùs circa ſuùm axim gyratus eſt, aqua pulſis valvulis in totâ ſuperficie erupit, & Globi vitrei ſpatium circumambiens implevit; remiſſo tandem motu ad ſua receptacula redierunt aquæ, & ad æquilibrium ſe ſe compoſuerunt.

Illius hypotheſeos quantumvis ingenioſæ vitia cuivis obvia ſunt. Abbas *Regley* qui eam confutavit hæc præcipuè in illâ carpſit 1°. Abyſſi exiſtentiam perperàm ſupponit. 2°. Augmento vis centrifugæ tanto, ut effectus memorati producerentur, quæcunque Telluri firmiter non adhærent in aëra rapta fuiſſent, & Arca ipſa hoc motu ceu Turbine agitata fuiſſet nedum aquis placidè innataret. 3°. Imbrium lapſus cohibitus eſſet. Vide *Avant-Coureur* 1767. N°. 31. Id. N°. 33. Ampliori refutatione miſsâ, in univerſum obſervare ſatis habemus hypotheſim retardationis motûs diurni lentæ qualem eam volumus his omnibus vitiis carere quæ fluunt ex ſuppoſitâ acceleratione vehementi & abruptâ motûs maximi.

ciatus eſſet ſerenæ lucis reditus, nec aliquid de nocte dictum eſſet. Quæ interpretationes cùm minùs probabiles apparerent, nobis in mentem venit hîc latitare argumentum in hypotheſεως noſtræ gratiam, de quo judicet Lector. Retardato motu diurno, dies & noctes productæ fuerant, modò magis, modò minùs, incertâ lege. In mediâ inundatione præſertim, longiſſimæ noctes æternæ noctis imago & præludium apparebant. Noachus inſolitâ & variâ tenebrarum & lucis longitudine conſtanti prius, attonitus, timuit ne lucifera revolutio prorsùs mutaretur aut tolleretur. Illum ſpeciali promiſſo obfirmat Deus & veterem ordinem reverſum annunciat.

LXXXVII.

Sic explicato Diluvio, reſtaret ut Telluris Theoriam reliquam in ſecundâ Parte expoſitam ſolutione quâdam generali hîc loci complecteremur, ne præcipuis hâc de re ſyſtematibus rejectis, omnia diruiſſe dicamur nihil ipſi ædificantes; at longior eſt quæſtio ut ἀκρίβεια debitâ hîc tractetur. Prodeat tantùmmodò conjectationis noſtræ de hoc argumento ſumma. Conjectatio circa cætera Phænomena.

Ex ſuprà dictis duo conſtare videntur 1°. Telluris faciem eſſe ab unâ parte adeò ruderoſam ut agnoſcendum ſit illam ruinâ quâdam ingenti mutatam eſſe; & ab alterâ illam ita ſtratis cinctam & conchyliis plenam eſſe ut æquè evidens ſit mare quondam cum Terris, non eâdem quâ nunc ratione, mixtum ac confuſum fuiſſe. 2°. Non apertè minus probatum dedimus Diluvii hypotheſim his omnibus explicandis imparem eſſe: Et tamen has mutationes tacitè factas nemo dicet, nec veroſimiliùs recurretur ad exundationem aut ruinam Diluvio majorem, ſilente Hiſtoriâ. His ritè perpenſis alia non aperta eſt in hâc quæſtione via quàm ut crederemus marium atque terrarum miſcelam & ruinam quam diximus ante Creationem, de quâ Moſes, locum habuiſſe, ita ut hæc Creatio nihil aliud fuerit quam reſtitutio Planetæ qui præexiſtens cum maribus & viventium familiâ jubente Deo penitùs diſlocatus ac ſubrutus fuerat. Quidni una domus pluribus inquilinis ſucceſſivè inſervierit? Ne Creationis opus ideò imminutum dicatur; Tam operoſa (ſi quid Deo ſit operoſum) tam operoſa inquam, foret hæc reſtitutio & ad Auctorem omnium æquè tuto tramite duceret ac elementorum primaria compoſitio. Num minùs peritus dicetur figulus qui veteri plumbeo vaſe liquefacto novum poſthac indè duceret, illo qui in fodinâ materiam primâ vice fictilem hauriret? Ne quoque mundus

idest, communem

ideò antiquior fingi videatur; Quid enim eſt *mundus*? Hominum & animalium non interrupta ſucceſſio. Ubi interrumpitur illa ſucceſſio deſinit *mundus* donec aliâ ineunte *mundus* alius oriatur. Formicalarium eliſis formicis ſubverte & novas inducito quæ arenam ſuo more denuò ordinent, nonne novum dicetur formicalarium & nova formicarum familia? Eſt ergo in hoc ſyſtemate, ut in vulgari, hominum primarius *Adam* (*a*). Ne metus etiam incurrat quominùs ſic eludatur *Creatio ex nihilo*: Omnia uno tempore non orta ſunt. Inter univerſam & primariam Cælorum & Terræ formationem Gen. I. ℣. 1. memoratam, & informis Terræ compoſitionem ℣. 2º. intercedere potuerunt ſæculorum myriades, & quidquid de poſtremâ diſputetur, intacta manet prior. Tandem ne Scripturæ adverſari cenſeatur hæc opinio. Silet quidem de priſcâ Globi exiſtentiâ, ſed nihil opus fuit illam memorare. Quinimò in ipsâ Creationis hiſtoriâ innui videtur ℣. 2. Quid enim ſunt hæc *Terra informis*, hæc *Abyſſus in cujus ſuperficie erant tenebræ*, *hæ aquæ queis incubabat Dei Spiritus* niſi terrena moles aquis obruta, quâ ſiccatâ & reædificatâ nova Globi facies ſplenduit.

LXXXVIII.

Hîc tandem explicandi finis eſto. Per avia & ſentes vepribus horridos deducti ſumus dum Naturæ immenſitatem, ruinas grandes & mirabiles Opificis ſummi vias attonitâ mente luſtrantes, circà modum eorum aliquid augurari auſi ſumus. Quod omni errore vacent quæcunque in hâc Parte prolata ſunt non defendimus. Minuti Philoſophi eſt Divina opera ex ingenii ſui tenuitate metiri, ſapientis contrà, diſparem hanc menſuram & inſcitiam ſuam ſæpè fateri. Id autem nullibi magis neceſſarium quàm in iis quæ ad Terræ Theoriam pertinent, ita debiles oculos fugiunt vaſtiſſimi illi effectus, adeò multiplices adſunt cauſæ, & paucæ extant obſervationes.

LXXXIX.

Venient anni quibus attentiùs perſpectâ terreſtrium corporum compage, & veritate ex ipſo Telluris gremio quaſi effoſſâ, tutiùs philoſophari licebit & in vagarum hypotheſeων locum ſyſtemata tradentur;

(*a*) Magnoperè igitur differt iſta ſuppoſitio à Præ-Admitarum ſyſtemate verè damnando. Differt etiam à ſententiâ D[i]. d'Enguel qui ingeniosè quidem ſed nimis audacter ſuppoſuit ab Angelis incultam fuiſſe Tellurem antequàm ſubverteretur. Nos hoc circà nihil definire audemus. Vide *Eſſai ſur la popul. de l'Amérique T. I.*

Quid ſi Globus ipſe, ſinu ſuo alicubi priùs reſerto Terræ motu vehementiore, magnæ cujuſdam cavitatis operculi lapſu, vel aliquâ ejuſmodi aliâ ingenti clade, hiantibus ac pavidis ſimul Phyſicis contentas oſtentet materias, & viſcera penitiùs aperta pandens internam fabricam ignotam adhuc edoceat? Ad hoc uſque tempus non alius Tellurem probe noſcet quam Ens ſummum quod illam architectatum eſt eamque movet. §

X C.

Hactenus frigidè de Divinæ Providentiæ actu ſplendidiſſimo, in quo conjunctim radiant illius omniſcientia, ſanctitatis amor incorruptus, intemerata juſtitia, invicta potentia, altiſſima ſapientia, imo & ſumma benignitas: Si nunc relictâ effectuum & cauſarum ſecundarum conſideratione, ad ipſum Naturæ Rectorem à quo hæc cuncta procedunt aſcendamus & eas virtutes propiùs intueamur, incaleſcit animus & admirationis, reverentiæ, timoris, & amoris ſenſibus rapitur. Quis non metuat hanc iram cui cuncta miniſtrant elementa? Quis ei placere non aveat ac fidat qui ſuos in ipſo naufragi mundi periculo à morte eripit & paternâ fovet alâ? Quis non miretur hanc vim efficacem quâ maria carceres ad lubitum frangunt, & aquas effundunt quocunque voluerit. Orbis habenas prudenti tractans manu ſi eas tantillum remiſerit, en repentè omnia diſſiliunt; ſi vero retrahat, motus omnis in Naturâ ſiſtitur vel turbatur. Hæc Tellus olim aquis eluta flammis ultricibus aliquandò tradetur. Quid agendum nobis qui inter utramque cladem Benigno Numine poſiti placidis elementis & pacato Naturæ curſu beati fruimur. Præſentibus ſedium deliciis læti à præteritâ tamen ruinâ diſcamus incertum eſſe futuræ tempus. Improviſum fore ultimum hujuſce Globi fatum ipſe docuit Chriſtus. Pauca ſciſcitemur, omnia miremur, piè Numen colamus, innocuâ Judicem vitâ placemus. Eſt imprimis in labili & caducâ hâc rerum conſtitutione cur ad Ens æternum & futuram noſtri ſortem avidâ mente tranſvolemus: In univerſo rerum complexu præter Eum & ejus promiſſa nihil eſt quod non rapidè fluat & edaci tempore voretur. Sub pedibus ruentia cernit Imperia, Terras, Mundos, Aſtra, Cælos; His vicibus intactus ipſe

Tempus ab ævo
Ire jubet, ſtabiliſque manens dat cuncta mutari.

FINIS.

§ Multa et admiranda circa hoc argumentum videnda prostant in Immensa Caverna, ad plus quàm 300 passus in interioribus Terræ visceribus protensa, quæ Hookey-Hole adpellatur. duobus à Civitate Wells, in Somersetano Comitatu sita, distat. Eam horæ tantùm unica inspexi. Anni spatio quotidie Physicus inspiceret.

SYNOPSIS DISSERTATIONIS.

Theſes I. - III. Proemium. *pag.* 1.

Pars Prima Critica.

Th. IV. - X. Quæ diluvium præceſſerunt. 2
Th. XI. Tempus Diluvii. 6
Th. XII. Fontes aquarum tres 1°. Pluviæ. *ibid.*
Th. XIII. 2°. Oceani incurſus. *ibid.*
Th. XIV. Suppoſitio Abyſſi centralis refutatur (1) ex Scripturâ. 7
Th. XV. XVI. (2) ex Phyſicis rationibus. *ibid.*
Th. XVII. 3°. Fontes præter morem exundantes. 8
Th. XVIII. Deſcriptio Diluvii. 9
Th. XIX. Sors Arcæ. *ibid.*
Th. XX. XXI. Obſervationes à Noacho inſtitutæ. 10
Th. XXII. - XXIV. Maxima aquarum altitudo. 11
Th. XXV. XXVI. Diluvii Univerſalitas. *ibid.*
Th. XXVII. Quæ Diluvium ſecuta ſunt. 13

Pars Secunda Historica.

Th. XXVIII. XXIX. Argumentum *internum* in gratiam veritatis narrationis Moſaïcæ. 14
Th. XXX. Argumentum *externum* duplex, *Hiſtoricum* & *Naturale.* 15
Th. XXX. - XL. Ad argumentum *Hiſtoricum* pertinent Traditiones quas inter præcipuæ ſunt *Chaldaicæ*, *Syriaca*, *Ægyptiacæ*, *Perſica*, *Indicæ*, *Italica*, nec non Traditiones *Græcorum*, *Sinenſium*, *Scandinavorum*, *Americanorum.* *ibid.*
Th. XLI. Vis illiùs argumenti 19
Th. XLII. Quod confirmat ſequentium temporum Hiſtoria. *ibid.*
Th. XLIII. Refutatur objectio. 20
Th. XLIV. Argumentum *Naturale.* 21
Th. XLV. Phænomena Theoriæ Telluris quæ ad Diluvium referuntur, 1°. ſuperficiei inæquabilitas. *ibid.*
Th. XLVI. 2°. Stratorum internorum diſpoſitio. 22
Th. XLVII. 3°. Varia corpora his in ſtratis inſerta. *ibid.*
Th. XLVIII. Tria ſyſtemata de his Phænomenis. 23
Th. XLIX. L. 1°. Qui omnia per Diluvium explicant, refutantur. *ibid.*
Th. LI. LII. ut & 2°. qui ad Diluvium non recurrunt. 25
Th. LIII. Admittitur 3ª. Hypotheſis eorum qui hæc partim per Diluvium, partim aliunde explicant. 27
Th. LIV. Quid in his Diluvio adſcribendum. *ibid.*
Th. LV. Quæ ſit vis illiùs argumenti. *ibid.*

Pars Tertia Physica.

Th. LVI. - LXI. Prævia ad diſquiſitionem de cauſis Diluvii obſervanda. 28
Th. LXII. - LXIV. Hypotheſis *Burneti* exponitur, & refutatur. 30
Th. LXV. - LXVIII. Hypotheſis *Woodwardi* exponitur & refutatur. 31
Th. LXIX. - LXX. Hypotheſis *Whiſtoni* exponitur & refutatur. 33
Th. LXXI. - LXXVI. Hypotheſis noſtra exponitur. 35
Th. LXXVII. - LXXXIII. Per eam exponuntur 1°. Variæ circumſtantiæ narrationis Moſis. 2°. Phænomena quædam notabilia Theoriæ Telluris 38
Th. LXXXIV. - LXXXVI. Argumenta in ejus gratiam. 41
Th. LXXXVII. Conjectatio circà cætera Phænomena. 43
Th. LXXXVIII. - XC. Concluſio totius Diſſertationis. 44

ad Thesim 45.

Hoc quod ſupponit autor posito ſequeretur ad oras cunctarum marium, ac praesertim oceani, omnes terras in declivem formam descendere deberet. Montes autem non nisi in remotas ab Oceano partes reperiri. Cum e contra multi ſint ingentesque, innumeris ibi locis ad littus marium et Oceani muntiani, Rupiumque tractus, qui ſaltem hic, a Deo Creatore esse debuerant, priusquam Diluvium immineret, quique nulla vi retrocedentis Oceani moveri potuerunt, primaeque ſedes ſuas retinuerunt. Quare autem Terra, ante Diluvium, ſuperficiei montium, collium, valliumque adimeret varietatem, nullam video. Tu autem ipſe, unibicoite, montes antediluvianos admiſisti, et recte quidem, cum Diluvii progressus ob oculos poſuisti. Thesi 20.a